



# Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

#### Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

#### Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

#### Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

STATUA  
TRIUMPHALIS  
MEMORIÆ  
VIRI MAGNIFICI  
DN. NICOLAI TROLLE  
DE TROLLEHØLN  
EQVITIS AURATI. REGIS DA-  
NIÆ CONSILIARII. NORVEGIÆ  
PROREGIS, ET ARCIS AG-  
GERSHUSIANÆ PRÆFECTI.  
VIRTUTUM HEROICARUM  
EXEMPLI ILLUSTRISSIMI  
*DEDICATA*  
*ET*  
*ERECTA*  
*AB*  
OLAO ROSENCRANTZIO  
*LUCTUM MOESTISSIMÆ*  
*UXORIS EJUS ALIQUO SO-*  
*LAMINE LEVATURO.*

---

ANNO M, DG. LXIX.



**MEMORIAE.**  
*MAGNI. VIRI.*  
**NICOLAI. TROLLE.**  
*MAXIMI. REGIS.*  
**FRIDERICI. III.**  
*SUMMI. PROREGIS.*  
**PERPETUA. MODERATIONIS.**  
*LAUDE. IN. PROXIMA.*  
**A. REGIA. DIGNITATE.**  
*CLARISSIMI.*  
**AD. PRÆCLARA. OMNIA.**  
*NATI.*  
**IN. SUBLIMI. DUM. VIXIT.**  
*MUNERE. INCUMBENTIS.*  
**UT. SIBI. QVISQVE.**  
**MAXIMUM. IN. LEGIBUS.**  
**PRÆSIDIUM. ESSE. CON-**  
**STITUTUM. PUTARET.**

**A 2**

**SUM.**



SUMMI. CUM. INFIMIS. PARI.  
JURE. TENERENTUR.

NEMO. PRÆTER. CULPAM:  
QVICQVAM. TIMERET.

NORMANNICUM. IMPERIUM.  
HOSTILI. IMPRESSIONE.  
TREMULUM. ET. CON-  
CUSSUM.

FORTI. INDUSTRIA.  
IN. ANTIQVO. SPLENDORE.  
CONSERVANTIS.  
ILLUSTRISSIMIS. OPERIBUS.  
Adeo. FULGENTIS.  
UT.

ÆMULUS. VIRTUTUM. OPTI-  
MI. REGIS.  
PROREGIAM. DIGNITATEM.  
DIGNISSIME. SUSTINU-  
ERIT.

*Quod*

## APPROBATIO.

**Q**uod in memoriam MAGNI VIRI  
NICOLAI TROLLE Maxi-  
mi Regis FRIDERICI III.  
summi PRO REGIS scripsit Vir nobilissimus  
et generosissimus OLAUS ROSEN-  
CRANTZIUS, Dominus de Egholm / ex  
Regio de imprimendis diplomate vidi et  
legi, argumentumq; et maximi Regis glo-  
riâ, et PRO REGIS magni fide, et gene-  
rosissimi ROSENCRANTZII elegantissi-  
mo Scripto, gravissimo judicio, pioq; in  
utrumq; affectu dignissimum esse censui,  
ut luce publicâ carere tam eximia magni  
ingenii monumenta non debeant. Hau-  
niæ xxix. Maii M. DC. LXIX.

JANUS BIRCKERODIUS  
Fac. Phil, Decanus.



## PRÆFATIO.

**T**ROLLIORUM nomen apud nos clarum jam pridem per multiplices familiarum propagines enituit, qvorum fortia facta alii aliis temporibus Scriptores tradidere. Mihi propositum est Viri nostri temporis Illustrissimi NICOLAI TROLLE vitam fulgentissimam expnere; qvippe qvem non infimam in hac progenie avitæ virtutis egregiorumqve operum omnibus constat promeruisse laudem, tantò minus reticendam, qvantò justius suo digni præconio post obitum habentur illi, qvi in vitâ pacis studia cum artibus belli cæterasqve virtutes ita composuere, ut qva-

qvavis occasione præclarâ undiqve  
Principi & saluti publicæ operâ nava-  
tâ æterni sibi nominis famam qvæsi-  
verint. Verùmenimverò cùm cre-  
pusculo vespertino similis sit rerum fa-  
ma, qvæ initio clarissima ita cum tem-  
pore paulatim consenescit, ut abeat  
tandem in tenebras, opusqve adeò hi-  
storia sit, qvæ facis instar illam illu-  
stret. Ego ne quid tale hic eveniat,  
vitam describere aggressus sum tanti  
viri, qui in gradu eminentissimo dum  
vixit constitutus, Regni Daniæ Con-  
siliarius, Norvegiæ Prorex, ac utrius-  
qve Regni ornamentum & adjumen-  
tum, tantâ eminuit prudentiâ & mode-  
ratione, ut haud ulli vitiorum (qvæ  
nonnunquam inter laqueata tecta,  
Tyriæqve vestis colorem delitescunt)  
generi fuerit addictus; verùm per ful-  
gen-

gentissima sua opera cœlo contermi-  
na se reddiderit qvolibet encomio &  
panegyri superiorem. Sed de meritis  
eius multa dicere supersedeo. Præ te-  
nuitate enim ingenii omnes in tantâ  
rerum multitudine exeqvendi nume-  
ros, qvos talis vita talisque fama po-  
stulat, contrahere vela cogor, oramq;  
legere, ne in tam vasto laudum pelago  
cum tenui cymbula deprehensus  
naufragio pericliter. Hoc saltem di-  
xisse sufficiat, non alteri à multis retro  
seculis solem illuxisse, qvi Serenissimis  
Danæ Norvegiæque Regibus, eorum-  
que subditis tam publicâ quam priva-  
tâ operâ plus attulerit emolumenti,  
adèò ut omnis hujus regni sexus & æ-  
tas, etiam illa, quæ abest à sensu malo-  
rum tanti casum Viri meritò doleat.  
Verùm non rarò reperiuntur detorta

B

quæ-

quædam pravaque ingenia, quibus  
præposterò contradicendi studiô &  
pruriente loquelâ pronius est aliorum  
scripta factaque rescindere & fugillare,  
quam proprio ista labore vel operosius  
illustrare, vel in medio prorsus relin-  
quere. Quocirca si fortasse horum  
quisquam iniqvus hujus scripti Ari-  
starchus, præoccupato judicio, in fini-  
stram vertet censuram me Virum No-  
bilem præter ordinis illius apud nos  
(ut videri posset) decorum hujus per-  
tractandi operis provinciam suscepisse,  
rectius suâ quidem sententiâ rejicien-  
dam in alium literati sacrative ordi-  
nis virum ad hujusmodi præstanta of-  
ficia natum, qui hujus Viri vitam lati-  
ali stylo concinnatam seræ posteritati  
consecraret; ille hoc à me responsum  
feret, naturæ sponte omnes in univer-  
sum

sum ad honesta obsequia natos; &  
quod à nostris moribus alienum est,  
non propterea à rectâ ratione, aut ab  
omnium, saltem apud alias gentes,  
nobilium consuetudine dissentire,  
quorum omnium, qui hisce consimili-  
lia pertractârunt, si nomina consigna-  
rem, otiô meo impensè abusus vide-  
rer. Neque verò me latet, quid Han-  
nibal Pharmioni Philosopho de insti-  
tuenda acie disputanti respondit. Ve-  
rum diversæ, exque non infirmæ me  
præ aliis ad hoc opus aggrediendum  
extimularunt rationes, quarum non  
infima fuerunt tria illustrissimi hujus  
viri postulata, quibus haud longo ante  
excessum suum tempore, inter alia,  
quæ meæ fidei commisit secretiora, fla-  
granter expetiit:

Primò, ut de illis, quæ jam ante te-

ſtamento ſuo, ad prævertendam inter ſuos diſſenſionem piâ mente conceperat, poſt ſuum è mortali vitâ exitum confirmandis ſtabiliendisque follicitus eſſem:

Deinde ut illa, quæ teſtamento minimæ natu filiarum ſuarum peculiari donatione legaverat, penes me conſervarem, usquedum illa nubilem & maturam viro ætatem attingeret.

Poſtremò, cum inveterata genti noſtræ ſit conſuetudo, quâ defunctorum exuviæ cum pomposis exequiarum triftium ceremoniis, amburbiali more efferuntur, ille pro averruncandâ à ſuo funere damnanda ſeculi pompa, parentalia ejusmodi ſibi poſt obitum fieri teſtamento prohibuit. Nè tamen memoria ſui cum ipsâ morte in ſolidum extingveretur, & cimmeriis tene-

tenebris involuta videretur, à me postulavit, ut transactæ vitæ post excessum suum consignandæ curam susciperem; quod tantò promptius me facturum promisi, quantò arctiori affinitatis atque amicitiæ nexu per triginta propemodum annorum spatiū conjuncti fueramus, non ingrati minus quam malè feriati hominis infamiam me non injuriâ incursum arbitratus, si posthabitô postulatô, detrectatoque onere, præsertim in tantô meo, quô caput inter nubila condere licet, otio præclaram illustrissimi Viri vitam, omnibus virtutum partibus & numeris abunde instructam nostris hominibus ac charissimis ejus liberis, serisque nepotibus imitandam non expонerem. Imprimis cum mariti honores ( si hoc quidem incrementum dici possit)

possit) ad solatium sui pertinere existimet Soror Vidua, & id anxiè desideraret: non raro etiam defunctorum, præconiis ad virtutem excitentur posterorum mentes, ut liberi nepotesque parentum vestigia laudanda domesticâ virtutum æmulatione ad seros premant annos; quanquam in quibusdam familiis sanguinis degeneris quandoq; semina interspergat impotens perpetuæ suæ fœlicitatis animus, quam dum concoquere non possunt, natalium & aviti decoris prorsus immemores, & in vitia prolabentes, inq; transversum tandem acti, à præclaris progenitoribus ita sensim deficiunt, ut clarissimorum majorum stemmata atque propaginem horridis atque incultis moribus subversum eant; quippe quibus hoc commune corrupta dedit natura viti-

vitium cum summis potestatibus, qua-  
rum plerumque fortunam continua  
fœlicitatis licentia evertit, attestantur  
Aristotele, Diodoro, Cominæ, aliis-  
que clarioris notæ Politicis. Quod  
& in Principe gentium populo ani-  
madversum: Nam cum ab antiquis  
moribus ac priscâ avorum moderatio-  
ne desciscentes præclaræ populi Rom.  
familia Cæsar, Pompejus, Crassus,  
Sylla & alii, fœlicitatis suæ licentia lu-  
xuriarent, non privatum sibi tantum,  
sed & publicum Reipublicæ exitium  
accelerarunt. Cujus calamitatis ve-  
ram rationem rerum Scriptores nimi-  
am fuisse fœlicitatem referunt; Causa,  
inquit Florus, tantæ calamitatis ea-  
dem quæ omnibus, nimia fœlicitas. Lib.  
4. cap. 2. Quod reliquum est, Deum  
qui relictos Illustrissimi hujus Viri li-  
beros

beros natalium splendore inter clarissimas gentis nostræ, & totius prodemodū Arctoi orbis collocavit familias veneror, eam illis inspiret mentem, qua patriarchum virtutū strenui imitatores Reip. Danicæ ac Serenissimę Regię Majestati (quam Deus Opt. Max. in augusta illa, quam temperat, statione perpetua fœlicitate augeat, & in seculi præsidium, inq; subditorum suorum, ac publicā omniū nostrū salutem diu incolumenti conservet) præclara obsequia præstare queant, quo sic illustria decora progenitorū ad seros transferant nepotes; atq; ad domus & prosapię illustre stabilimentum cum permanura gloria crescant & consenescant. Dabam in Prædiō meō Eg, holm 4. Non. April. Anno Dominicę incarnationis M. DC. LXIX.

Olaus ROSENCRANTZIUS.



Natus erat Illusterrimus & Nobilissimus Vir NICOLAUS TROLLE Toparcha de Trolleholm; Eques Auratus, Regni Daniæ Senator, Regis Consiliarius & Norvegiæ Prorex è peranti-quâ Trolliorum familiâ Anno salutiferi partus supra millesimum quingen-tesimum nonagesimo nono, die mensis Decembris vigesimo, idque eâ oris venustate ut vel in ipso vitæ accessu omnes ingenitam magnæ indolis ima-ginem jam in pusione perspicerent; quamque reliquo ætatis decursu præ se tulit dignitatem vultu expressam fa-terentur.

Pater illi fuit Nobilissimus BIR-GERUS TROLLE de Trolleholm; Ma-  
C ter



ter Nobilissima foemina ANNA  
Munck Domina de Palleßbierg.

Avus erat NICOLAUS TROLLE  
de Trolleholm; Avia ANNA Fris de  
Drebecklund.

Proavus JACOBUS TROLLE de  
Lilløe; Proavia CHRISTINA Schave/  
filia senioris HERLOVII & HILDE-  
GARDIS Valckendorph de Esfildstrup.

Abavus ARVIDUS TROLLE de  
Birckvad / Nobilissimâ in Sueciâ do-  
mo; Abavia BEATA Tot de Lilløe.

Proavia Pater HENRICUS Fris  
de Hesselager / filius CASPARI Fris  
& ANNÆ Brochenhuus de Leer-  
beck; Proavia Mater MARGARETA  
Bilt / filia NICOLAI Bilt & MARGA-  
RETÆ Ilfeld.

Avia Pater PAULUS Munck de  
Krogs-

Krogsgdal; Aviæ Mater ELISABETHA Juul de Pallesbierg.

Abaviæ Pater OLAUS Munch de Tuidsfloster, filius Equitis Aurati MAGNI Munch & CATHARINÆ Rosenfranz de Olstrup. Abaviæ Mater DRUIDA Ranßow, filia CAJI Ranßow de Haurøe, & IDEÆ Blume.

Ataviæ Pater PAULUS Juul, filius MAGNI Juul & DOROTHEÆ Krabbe de Olstrup. Ataviæ Mater ANNA Lycke, filia ERICI Lycke de Skouffgaard & ANNÆ Kaas de Strandet.

Quamvis autem præclararam Illustriſſimi hujus Viri Genealogiam ad multa retro secula vastamque temporum profunditatem extendere, atque nobilissimam stemmatum propaginem in proprium illius ultimorumque ne-



potum honorem (si mangonio & e-  
mendicatis aliunde laudibus ex Maj-  
orum virtutibus posteris captare glori-  
am conveniens eslet) deducere pos-  
sem; eō tamen opere tantò studiosius  
supercedendum censeo, quantò liqui-  
diùs non duntaxat genti nostræ, ve-  
rūm exteris insuper nationibus, quæ  
vel mediocriter rerum nostrarum e-  
volverunt monumenta innotuit, hunc  
de quō agimus Virum eā oriundum  
prosapiā, unde multi magniique in  
hisce Arctoi orbis Regionibus originem  
& sublime genus traxcrē Reges & Prin-  
cipes, qui inde à GUSTAVO PRIMO  
Svecorum Rege ad hanc nostram æta-  
tem usque Regnorum Sveciæ ac Polo-  
niæ gubernacula tenuerunt, eademq;  
ob fortiter fœliciterque & moderatè  
gesta imperia longissimâ successionis se-  
rie



rie suâ in familia conservarunt; quorum excelsæ atque illustres majorum imagines cum conjunctâ virtutum, moderationis, prudentiæ ac splendoris famâ, frequentissimis posterioris ævi commentariis decantatæ adeò longè lateque disseminatæ sunt, nulla ut sit natio tam citima soli, aut tam ab illo sejuncta, ad quam non hujus familiæ laudes & præconia decurrerint.

Post suscepitum infantem nihil prius potiusque habuere parentes, quâm ut suum hoc acceptissimum pignus per sacrosanctum salutiferæ regenerationis lavacrum in Christiani orbis coetum & societatem cooptatum Deo datori redderent divinæ illius curæ & custodiæ committendum.

Hacce solenni sacrorum rituum festivitate peractâ, intra proprios parientes



tes illum educârunt, anxiam & com-  
petentem illius infantiae curam geren-  
tes. Nec parentes fefellit quòd à flu-  
idis pueritiae annis reliqua vita pende-  
at; ac cum primis rudimentis connexa  
sint cætera; quodque naturæ sponte  
virtus in arduo posita sit, vitia autem  
in præcipiti, nî maturâ educatione ex-  
tirpentur. Neque enim citò virtutum  
vitiorumque vestigia pereunt, quæ te-  
nera moribus ætas impressit; & primæ-  
vam mentem posterior imitatur affe-  
ctio. Itaque ut ingentis spei filius via  
accuratissimæ institutionis ad virtu-  
tem & virtutis comitem gloriam gras-  
sari maturè assuferet, ingenio ejus  
fingendo & formando admotus fuit  
**Magister JOHANNES CHRISTIANI Eccle-**  
**siarum Tuisii & Fuldingensis pastor vi-**  
**gilantisimus, qui devotissimi pueri**  
**ani-**

**animum religiosâ moderatione exco-  
luit, & virtutum omnium, quæque  
harum est basis, pietatis condimentô  
temperavit: penes quem posteaquam  
annum cum semestri exegisset, ad no-  
bilissimam Scholam Herlovianam  
amandatus ut firmiora ibidem in lite-  
ris præsidia sibi compararet, ad bienni-  
um istic loci Musis operatus est; ubi in-  
terea temporis præclarum inter reli-  
quos alumnos illius ingenii specimen  
adeò eluxit, ut alacritate, fœlicitate  
ingenii, atque dexteritate judicii æta-  
ti præverterit.**

**Ad patrios deinde lares revocato  
domi suæ foverunt parentes præcepto-  
rem JACOBUM HARLESTRUPIUM (qui  
postmodum Ecclesiæ Tortrupiensis in  
Hannomarchiâ Cimbriæ Australis, in  
Hierarchiâ Vandalicâ sive Burglaviensi  
pastor**

pastor fuit devotissimus) usque ad annum Dominicæ incarnationis decimum supra millesimum sexcentesimum; quô erepto humanis nobilissimo parente BIRGERO Trolle, patris avunculus Vir Illustrissimus & Nobilissimus Dominus CHRISTIANUS FRISIUS de Borreby, Regiæ Majestatis Cancellerius Magnificus, puerum jam parente orbatum ad Academiam Lipsianam quæ in Misniâ superioris Saxoniæ est emisit illis tum artibus instruendum, quibus successu temporis & ætatis incremento, post Deum Regi Patriæque ac Reipublicæ inservire posset; adjuncto juventæ illius Moderatore Virō Clarissimō Magistro PAULO ANDREÆ, Medicinæ postea apud Roëschildenses Doctore; qui spontaneo motu incertum, an ex mandato Cancelarii,



Iarrii, posteaquam illum ejusdem Academie Rectori Abrahamo Memo commendasset, in Daniam retrocessit, relictō apud exteris tenerime ætatis Orphano, qui cum lustri ferè spatiō illic loci commoratus fuissest, apud exteram gentem admodum durè habitus, omnibusque quę in puerum tenellum procul à conspectu atque presentaneā curā parentum constitutum cadere possent incommodis obnoxius, ac gratā interim gentilium suorum consuetudine privatus vernaculū idioma per tantum temporis interstitium oblivione prorsus contriverat. Adeò scilicet ex decretō divinō per multiplia quę in juventute sustinuit malorum incomoda, via illi patefacienda erat ad illa quę postmodum accrescentibus annis obvenerunt honorum fastigia.

D

Post

Post hęc cum paululum roboris  
accresceret ætati, nexusque jam arctioris disciplinę solutus esset, sub exitum  
Anni 1615. in patriam revocatum Magnificus Cancellarius in familiā sua aliquandiu detinuit. Verùm cùm excelsę familię gloria & avitō splendore undique effulgens intelligeret nobilissimus juvenis illa fortunæ non virtutis esse ornamenta, eò incumbere omniaque studia & consilia eò conferre cœpit, ut in se effusa tantæ dignitatis & gloriæ ornamenta emicarent. Primis ergo adolescentiæ annis acumen ingenii ad hauriendas disciplinas contulit, non ignorans doctorum hominum consiliis & scriptis stare Rempublicam, & in tanta negotiorum mole Princes indigere prudentia, illorum præsertim, qui usu, exemplis & doctrina ex-

excellerent. Proinde avida discendi  
adque altiora spirans juvenilis etas, &  
faustis enutrita sub penetralibus indo-  
les nihil prius & antiquius habuit,  
quam ut acquisita jam pridem apud  
exterios literarum humaniorum rudi-  
menta cujusdam peritisimi earundem  
artificis ductu & auspiciis foris, aut in  
ipsa patria ultra excoleret; unde ipsius  
juvenis nobilissimi precibus commo-  
tus Cancellarius, Viro Excellentissi-  
mo Domino CASPARO BROCHMANNO  
Græcæ Lingvæ plusculos annos Pro-  
fessori publico, inde supremo Acade-  
miae Hafniensis Theologo; ac postre-  
mo Diœceseos Sielandensis Superin-  
tendenti meritissimo illum concredi-  
dit artium liberalium studiis aliisque  
scientiis, quibus ingenia ad magnæ for-  
tunæ cultum excitantur, imbuendum.

D 2

Ea

Ea tum in literis humanioribus jecerat fundamenta, quibus adminiculantibus inter alios Academix alumnos frequentatis sedulò Professorum lectionibus publicas ipse disputationes & perorationes haberet.

Post Cancellarii verò è vitâ excessum secundam ad exterros profectiōnem parabat. Igitur convasatis rebus salutatisque amicis in Germaniam concessit, quam cum magnâ sui parte superiore itinere lustrasset, ad reliquum illius oræ tractum iter adorabat, quicquid undique visu aut memoriâ dignum offerebatur speculandi discendiisque cupidine accensus. Itaque confecto peramplo & spatiose peregrinationis cursu, ad conjungendas præclaras animi & corporis virtutes, sèdem tandem studiorum exercitiorum-



rumque equestrium elegit Giessam,  
munitissimum in Hassia oppidum , li-  
terarumque studiis, quibus & ipse spa-  
tio octodecim mensium ibidem sedulò  
incubuit, clarum.

Inter hæc cum jam pubertatem e-  
gressus ad ter senos annos adolevisset,  
completâ tum ætate, quâ suas cuique  
privatas opes & facultates disponendi  
administrandique potestatē lex pa-  
tria indulget, Tutor illius Nobilissi-  
mus & Generosissimus Vir JOHANNES  
FRISIUS, ut illius se tutelâ abdicando  
prægravi illo tutelaris ministerii onere  
sublevaretur, in patriam illum evoca-  
vit , multum obnitente generosō ac  
discendi ardore inflamatō adolescen-  
te; qui non leve rebus suis dispendi-  
um, & transversum velut obstaculum  
imminere, per hoc tam abruptum avo-

eamentum interrumpendis iis artium, doctrinarumque studiis, quibus animum eò usque sedulò mancipaverat, perspicaci animo revolvebat. Sed Tutoris autoritati & imperio obtemperatus in patriam rediit Anno 1618. Unde suæ mox tutelæ factus tertium Germaniam petens, per diversa ab illis quæ superioribus peregrinationibus emensus erat terrarum spacia, Argentoratum primarium Alsatiæ oppidum, pervenit, ubi loci postquam solido anno cum senis mensibus tempus traxisset, nihil reliqui faciebat, quin per omnem bonarum artium disciplinarumque honestiorum cultum viam sibi sterneret ad ea, quæ progressu ætatis accessere dignitatis incrementa; spectabat enim Majorum suorum imagines velut virtutis incitamenta, quibus

bus paterna & avita decora propriis  
suis cumularet meritis; animusque il-  
lius nobilitatis ingenitæ stimulis exci-  
tatus à primâ statim juventute ad ea,  
adspirabat fastigia, ubi cum virtute mo-  
raretur gloria; non satis esse ratus or-  
tum splendidum contraxisse, si vita,  
ingloria sibi devolveretur in tenebras.  
Hauriunt equidem Nobiles cum sang-  
vine à natura egregios plerumq; ve spi-  
ritus, quibus jugiter ad honesta facino-  
ra impelluntur. Unde & omnis rectè  
constituta Respublica suô semper in-  
pretio habuit benè natos, & honora-  
rias constituit dignitates Nobilitati,  
quam nulli unquam exosam habuere  
præter illos, quorum atrox & execran-  
dum est præceptum, obtruncandas esse  
eminentes spicas. Sed quām rectè sen-  
tiunt illi, qui hujusmodi fovent in in-  
timis

timis animi recessibus præceptiones,  
multa hac de re in illustri posita loco  
testantur monumenta & exempla,  
omnibus bonis fastidiosiora ac notiora,  
meo qvām ut egeant stylo.

Ille igitur cum robore ætatis accre-  
scentibus annis, ut maturè per arduam  
& præruptam bellicæ virtutis semitam.  
ad gloriam contenderet, in Germaniâ  
bello operam dare cœpit, nomenque  
dedit militiæ Viri strenui Oppenro-  
dię, turmarum id temporis Equestri-  
um Præfecti, nec multò post locum  
tenantis in Danorum Regis CHRI-  
STIANI QVARTI commilitio offi-  
cium cum imperiô in cohortes Dani-  
cas gerentis: sub cuius ductu postquam  
justō tempore primum belli tyrocini-  
um deposuisset, ad consummandum  
propositi itineris cursum versô animo  
Nor-

Noricum , Helvetiam & Augustam  
Rauracorum ad Genuensium & Lug-  
dunensium districtus asperô ac perple-  
xô itinere pertransiens , tandem Bur-  
gis in Biturigibus quod celeberrimum  
Galliaæ emporium est , antiquitatumq;  
reliquiis inclytum usque ad festum  
Divo Michaeli Archangelo sacrum ipsi  
subsistere visum fuit.

Decurrebat tum Mensis Septem-  
bris Anni 1620. cum terrestri primùm  
itinere per Pedemontium , atque Ge-  
nuam Insubriæ municipium ; indeque  
solvens in Italiaæ viscera contenderet .  
Inter viam quæ Savonam ducit , ma-  
nifesto fuit vitæ discrimini expositus ,  
quod illi à Turcicis Piratis mare tum  
insidentibus , ac velocissimo myopa-  
rone navem quâ vehebatur ferocissi-  
mè insectantibus impendebat . Unde  
E captô

captō quod præsens suppeditabat ne-  
cessitas consiliō, nautæ declinandæ fe-  
rali Barbarorum ferocitati, navigium  
ad littoralia dubiō rei eventu adigen-  
tes incolumes evasere; quippe quibus  
inter angustissimos fortunæ casus, om-  
niqüe mortalium ope destitutis præsi-  
dium superni Numinis affulgebat. Ita  
quantum interest divina inter & hu-  
mana consilia non obscuris tum indi-  
ciis intellexit veræ & fervidæ pietatis  
ad magnaqué natus adolescens; qui à  
primâ statim infantâ jugi veneratione  
se suaqué consecraverat Numinis altissí-  
mo, cuius præsidio inter præsentissí-  
ma etiam mortis pericula incolumis e-  
vasit, & quod ipsâ morte atrocius,  
sævæ immanis Christiani nominis ho-  
stis captivitati servitutiisque subductus  
est, ac reservatus ad complura illustri-  
aque

aque horum Borealium Regnorum, munera, quæ per omnem deinceps vitam in publicum patriæ emolumen-tum votivo successu sustinuit. Sic scilicet se habent humana, ut in mundo hoc itinere rerum tam privatarum quam publicarum per ardua sit nitendum, per cœnosa evadendum, inter angustias eluctandum, ut ad eam pervenias quæ per hæc comparantur gloriam & dignitatem.

Genuâ deinde Florentiam Hettrixæ oppidum; Florentiæ ad priscam illam Reginam gentium, Principem urbem, & caput Italiæ Romam; inde Neapolim iter direxit, atque omnibus quæ undique conspectu observatuque digna videbantur perlustratis, Romam tandem retrocessit, ubi aliquot menses exegit, ad obitū usq; PAULI QVINTI



Romani Pontificis in decrepitâ senectute lethali morbô succubentis; quô extinctô pomposis illis & lugubribus exequiarum tristium officiis, quæ ad justa tanto illis Principi persolvênda conferebantur oculos pavit; ut & illi quæ mox subseqvuta est succenturiati Pontificis ad Apostolicam sedem inaugurationi interfuit; quæ omnia tantò intentiore curâ contemplatus est, quanto in orbe Christiano nihil tot tantisq; ceremoniis celebre magis, aut visu dignius mortalium oculis aut conspectui subjicitur.

Post hæc Româ Patavium profectus, cum in illa Academiâ totius orbis celeberrimâ trimestri spatiô conseisset, Venetias perrexit. Sic perlustratis cunctis Italiæ partibus, cum primariis ejusdem Regionis Civitatibus,  
& quæ

& quæ in illis extant Templis, Ædi-  
bus, Aris, Lucis, Sepulchris, Asylis,  
Amphitheatris, Circis, Hippodromis,  
Campis, Odeis, Armamentariis, Bal-  
neis, Thermis, Aquæ ductibus, Colos-  
sis, Obeliscis, Columnis, Statuis, tum  
& Cœmiteriis, Cryptisque illis subter-  
raneis plenis Christianæ pietatis con-  
stantiæque monumentis (namque eò  
usque sese extendebat per ampla illius  
curiositas, ut Ulysseô exemplô vix pe-  
regrinando contemplandoque exsatia-  
ri posset) pedem tandem in patriam  
referre destinabat. Itaque trajectis Al-  
pium jugis circa initium verni tempo-  
ris Anni 1621. Sabaudiam pertransiens  
Lugdunensem agrum itinere emensus  
est; ubi cum inopiâ rei nummariæ la-  
boraret, præsenti indigentia ac neces-  
sitati generoso aliquo remedio consul-  
turus

turus bello Gallico, quod grave tum  
inter LUDOVICUM XIII. Galliæ Re-  
gem & Hugonotas dictos magno par-  
tium furore exardebat se addixit, ca-  
stra Regis inter voluntarios, ut loquun-  
tur, milites seqvutus; sub cuius signis  
posteaquam quatuor mensibus militiæ  
onera sustinuisse, ulterioris conficien-  
di itineris gratiâ positis armis ad Bi-  
turges primum inde Lutetiam Parisi-  
orum properavit, ac solidô annô in-  
ibi exactô, post sat longam apud exte-  
ros peregrinationem paternos demum  
lares revisere animô intendit.

Igitur proximô qui antecedentem  
cepit annô pro terminando ad ulti-  
mum itinere, per inferiorem Germa-  
niam magnamque Britanniam redi-  
tum in patriam meditatus, peragratô  
Brabantia atque florentissimis illius  
muni-

municipiis emporiisque opulentissi-  
mis perspectis Caletum ad Ictium por-  
tum validissimum adversus vim exter-  
nam Galliæ propugnaculum, portuq;  
ac navium statione clarum in Picar-  
diâ oppidum deflexit. Inde datis in-  
altum velis ad Anglos transmeavit,  
quorum cum vastum & extensum Im-  
perium universum propemodum spa-  
tiosô itinere peragrasset, postremum  
Londinum retrogressus est. Iстic loci  
cum modicum temporis protraxisset,  
secundis velis mare transmittens Hol-  
landiam, Zelandiam, reliquasque con-  
fœderatas Belgicas provincias, quas  
superiori nondum itinere contempla-  
tus fuerat peragravit. Inde terrestri  
viâ per Hamburgum in solum patrium  
auspicatò reversus est sub extremum  
æstatis anni 1623. postquam tertio huic  
novis-

novissimoque itineri lustri ferè spati-  
um, universæ verò in exteris regioni-  
bus peregrinationi undecim annos  
cum senis mensibus insumpsiisset. Quô  
quidem temporis interstitiô cuncta  
propemodum Europæi orbis Imperia,  
Respublicas & civitates, tum earundem  
quoque status ac regiminis formam,   
lingvas, mores atque statuta cum fun-  
damentalibus singulorum constitutio-  
nibus exactè recognoverat. Interea  
cum viris undique doctis ac seniori-  
bus, quos longior ætas reddiderat pru-  
dentiores commercium tuebatur;  
quos quandoquidem tantò antecelle-  
re Historiam judicavit, quantò plura  
exempla complectitur diurnitas  
temporis quam hominis ætas, rerum  
Politcarum & Historiarum cognitio-  
ne magnoperè delectabatur, summô  
sem-

semper studio intentus suum ut ingenium jam ante natalium prærogativâ honoratioribus Reipublicæ functionibus destinatum iis præterea artibus formaret, quibus tam Regi suo quâm Reipublicæ emolumentum olim afferre posset. Qvod & votivo adeò successu obtinuit, ut cum ad Rempublicam postmodum admissus diversa subinde Regni munera terra marique obeunda sustineret, iis pertractandis consilio atque prudentiâ paucos pares, superiorem nullum aut nostra Patria aut illius viderit ævum.

In Daniam ubi redierat, inter purpuratos aulæ regiæ Nobiles receptus est. Erant circa hæc tempora flagrantissima excitata bellorum incendia inter piæ & augustæ memoriæ Principes

**FERDINANDUM SECUNDUM**

F

Roma-



Romanorum Imperatorem, & CHRISTIANUM QVARTUM Regem Daniæ, qui ex compacto fœderis, quod arctissimum per id tempus Regem inter & inferioris Saxoniæ Principes intercesserat, auxiliares ipse copias in Luneburgensem agrum deduxerat; quâ occasione vir ille Nobilissimus, juxtâ cum aliis purpuratis, inter prætorianos qui in tutelam Regii capitis excubarent nobiles, in isto sociali bello arma ferebat.

Inter hæc cum futuram vitæ sociam claram prosapiâ virginem circumspiceret, ambire cœpit illustrissimam omnibusque virtutum quæ in hunc sexum cadere possunt dotibus cumulatissimam Virginem Dominam MEDÆAM Rud / Illustrissimi & Nobilissimi Viri CORNIFICII Rud de Su-  
lesang /



**I**esang / ut & lectissimæ illius conjugis  
Nobilissimæ BIRGITTÆ Rosenspar-  
re de Sandholt filiam, ex priscâ & in-  
clytâ Rhudiôrum & Rosenspariorum  
stirpe prognatam; quæ divina sic dis-  
ponente gratiâ, consentientibus utri-  
usque partis parentibus desponsata  
illi fuit Anno 1624. Itaque expleto vo-  
ti sui desiderio, sub initium verni tem-  
poris insequentis Anni 1625. ad castra  
reversus, nulla non gnavi ac strenui mi-  
litis officia exeqvutus est; usquedum  
circà exitum veris adulti Anno 1626.  
prægnantibus de causis, ineluctabiliq;  
commotus necessitate militiâ se abdi-  
care, causariamque à Regia Majestate  
missionem petere coactus fuerit. Quâ  
obtentâ, Rex eum cum literis ad ma-  
trem Reginam, & Principem electum  
in Daniam amandavit.

F 2

Sub

Sub exitum Junii ejusdem anni  
nuptiales illi faces prælatæ, & festivitas  
cum auspiciatissimâ solennitatis pompâ  
magnificè celebrata est in multò maxi-  
mâ primariæ nobilitatis aliorumq; lau-  
tissimæ sortis & clarioris notæ hominū  
frequentiâ. Vixit autem in hoc conju-  
giô, quod devotâ pietate, illibato amo-  
re, mutuâ castitate, ac summo animo-  
rum consensu perpetuô coñunis vitæ  
decurfu traduxerunt, lustri spatiô cum  
senis plus minus mensibus. Quô qui-  
dem temporis intervallo ex Nobilissi-  
mâ Lectissimaq; thori socia duos susce-  
pit filios **BIRGERUM** & **CORNIFICI-  
UM Trolle**/ ac filias totidem **ELISABE-  
THAM** & **BIRGITTAM Trolle**/ quæ  
à desideratissimo piæ memoriaræ maritô  
**MANDRUPIO Brahe** non ita pridem  
defunctô in lugubri viduitate & solitu-  
dine

dine relicta sortem suam miseratur & acerbissimè luget. Majores natu filiorum filiarumque fatô suô functi sunt. Ultimam verò quam enixa est prolem, quandoquidem unâ cum ipsa genitricē Anno 1632. ad diem 25. Februarii in partu extincta est, huic calculo non adjiciendam putavi.

Inter hæc illi Magistri Equitum Selandensium munus delatum est, quod per triennium pervigili cura & industria militari ita administravit, nihil ut intermisserit, quod ad hujusmodi officium rectè strenueque perfungendum spectasse videretur.

Proximô exinde Annô 1634. prefectura illi arcis & districtus Hafniensis demandata est. Quocirca cum privatissimis illius negotiis publica jam accessissent, ut domesticam rei familiaris curā

industriæ conjugis ope & opera leva-  
ret, ad secunda vota transitum para-  
bat, oculos animumque per abstrusam  
Dei providentiam convertens ad præ-  
claram natalibus verisque virtutibus  
ornatissimam Virginem, sui sexus &  
fortis exemplum Dominam HELE-  
NAM Rosenfranß / procreatore Illu-  
strissimo ac Nobilissimo Viro HOL-  
GERO ROSENCRANTZIO de Glim-  
minge regio in insula Bornholmia  
Præfecto, Genitrice verò LENA GYL-  
DENSTIERNIA prognatam. Cujus  
postquam sponsalia suffragatione pa-  
rentum gentiliumque optato impe-  
trasset, nuptiales feriae cum geniali fe-  
stivitate splendidoque apparatu Hafnię  
celebratę sunt ad 16. diem Octobris  
Anni 1636. cui solennitati non parum  
splendoris Augustissimorum Princi-  
pum

pum capita addiderunt, præsentibus  
ipso Serenissimo ac Potentissimo Da-  
norum Rege; ut & Illustrissimo Celsis-  
simoque Virtenbergensium Principe.

In hoc connubio ad ter denos &  
solidum quod excurrebat annum pro-  
latatô, tam jucunda, læta atque lau-  
danda vite & officiorum societate bea-  
ti vixerunt, ut quantò in vita favior  
extiterat animorum conjunctio, tan-  
tò impensius tristem relictae Viduæ for-  
tem post excessum Mariti nunc exagi-  
tet conjugalis vitæ separatio; quam lu-  
gubrioris pectoris acerbitatem plenô  
solatiô ita sublevet recordatio æternæ  
gloriæ solamen peregrinantis animæ,  
ut prostrata dolore Illustrissima Uxor  
domesticum hoc vulnus & miseri-  
mam orbitatem justô animi robore  
fustineat, memor quod fallax & insta-  
bi-



bilis sit nostra omnium vita, instar rapidissimi fluminis, instar amentati jaculi, quodque sicut sagitta ex manu Potentis, ita communi cunctis nature lege ad mortem undique decurrat & excutiatur.

Durante hoc conjugio auxit illos Deus in geniali thoro liberis decem, sex filiis, filiabus quatuor, quorum binos filios ERICUM & JACOBUM TROLLE, juxta & unam filiam LENAM TROLLE, que Illustrissimo & Nobilissimo Viro ENEVALDO Paßbierg Regio Consiliario & Regiarum filiarum Aule-Præfecto elocata fuerat, mortalium cætui natura subduxit, superstitibus etiamnum BIRGERO, HOLGERO, HERLOVIO & ARVIDO TROLLE; ut & tribus Sororibus MEDEA TROLLE Illustrissimi & Nobibi-

bilissimi Viri GEORGII Reed<sup>s</sup> de  
Wedge regiæ domus Tryggevalden-  
sis, Ringstadii, & Monæ insulæ Præfe-  
cti meritissimi uxore Nobilissimâ; tum  
& ANNA TROLLE Illustrissimi atque  
Nobilissimi Viri ERICI Bille de Kier-  
gaard conjuge Nobilissimâ. Et, quæ  
genethliaci hujus operis finem coro-  
nat HELENA TROLLE, cujus per  
se innatæ, & maternâ insuper industriâ  
ad optima quæque excitatæ virtutes  
propinquam spem eminentis fortunæ  
illi amplissimè subministrant.

Monet me hic locus, & quidem  
ipse Illustrissimus Vir, de quo hic agi-  
mus, ut quod in prosapiis memoratu  
haud indignum occurrit, nostræ genti  
& curiosæ rerum nostrarum posterita-  
ti paucis exponam. Clausurus ille vi-  
debatur agmen vetustissimæ stirpis &

G am-

amplissimæ TROLLIORUM prosapiæ, adeò ut in illo ceu ultimo tantæ tam-  
que fœcundæ arboris ramo defecissent, cum illius interitu penitus extirpatis  
radicibus, si quid forte humanitus ipsi  
ante connubium contigisset. Erat au-  
tem, quemadmodum supra ostensum,  
inter armorum strepitus, aliaq; discri-  
mina multiplicibus dubiisque nover-  
cantis fortunæ vicibus variè expositus,  
ut ita planè extinctum fuisset priscum  
illud & multis retrò seculis inclytum  
TROLLIORUM nomen, tot tantisque re-  
bus præclarè gestis in hisce Boream,  
spectantibus Regionibus per tot secula  
clarum. Sed aliter visum fuit supremo  
Numini, cui nempe destinatum fuerat  
è declinante prosapiâ stabilem ad mul-  
tas generationes per Excellentissimum  
hunc Virum erigere genti nostræ fami-  
liam,

liam serosque nepotes; qui in spem  
Patriæ resurgentes avitarum virtutum  
strenui imitatores condignam tantâ  
prosapiâ operam genitali solo ac bono  
publico commodarent; quique cum  
paternis virtutibus in patrias simul fa-  
cultates & hæredia condescenderent;  
adeò ut ob summam quę ab ineunte  
ætate ad supremum usque vité spiri-  
tum in illo refulsit divini Numinis ve-  
nerationem completum videatur  
consimile promissum, quale de hære-  
ditaria Sionis possessione dedit divinus  
ille Vates Psalmo 69. Semen servorum  
ejus hæreditate accipiet eam, & dili-  
gentes nomen illius habitabunt in eâ.  
Cum semine eorum, inquit Ecclesia-  
stes, perseverat bona hæreditas: filii eo-  
rum & nepotes eorum propter eos in  
æternum manent: semen eorum &



gloria non derelinquetur, sed nomen  
eorum virebit in generationem & ge-  
nerationem. Quô elogiô non obscurè  
denunciatur omnibus sincerâ pietate  
coletibus Deum stable propaginis  
fulcrum, ac domus suæ stabilimentum.

Anno 1638. In honorem virtutis  
annonæ Præfectus armatæ militiæ Sie-  
landensis Provinciæ à Rege designatus  
est; suffragantibus & electionem ejus  
(ob illustre quod prioribus bellorum  
motibus dederat militaris rei experi-  
mentum) efflagitantibus regni Daniæ  
Senatoribus. Proximô deinde annô  
Roëschildensis districtus illi ultrò dela-  
ta fuit præfectura, Hafniensem post-  
quam septennii spatiô peregisset.

Exortô mox bellô inter CHRISTI-  
ANUM QVARTUM Regem Daniæ  
inclytæ memoriæ, & CHRISTINAM

Sve-

Sveciæ Reginam, irrumpentibus inopinatâ in regiones nostras hostilitate Svecorum copiis, Generalem illum añonę Præfectum per omnes Regni provincias dubiis illis asperisque temporibus Rex constituit. Inde cum conjunctis imperii sui viribus Rex hostem aggressur⁹ florē exercitus & robora militum in Scaniām belli sedem & seminarium tum hostilis exercitus traduxisset, ille regio ex mandato inter alios strenuos belli Duces in eā expeditione delatum sibi ministerium operā, consiliō, tantāque dexteritate complevit, gratam ut Regi operam præstiterit, uberrimè commilitio satisfecerit, ipsi sibi profundæ sapientiæ famam comparaverit, ipsiusque sapientissimi Regis commendationem cum cūlūtō cum præconio comme-

ruerit. Quæ res illi etiam emolumen-  
to fuit ad illud quod mox accessit ge-  
minæ dignitatis incrementum. Quip-  
pe proximo ab expeditione Scanica  
annô, ex meritis ad gradum censumq;  
Senatorium, Regniꝫque Consiliarii pu-  
blicam functionem sublimatus; ac ut  
omnibus constaret, nihil tam grande  
ac grave fuisse, quod ipsius virtuti  
& prudentiæ committi non posset,  
Architalassî partes explere coactus  
cum duplici officio gemino quoque  
honorum titulo Anno 1645. cohone-  
status fuit.

Namq; stabilem fundatamq; im-  
perii sui magnitudinem servaturus Rex  
optimus; simul & ut autoritatem su-  
am Senatus obtineret curam adhibuit,  
ut in Consiliariis summis adsciscendis  
atque Magistratibus mandandis opti-  
mos

mos quosque & omni virtutum splendore fulgentissimos deligeret viros, quos morum candor, scientia, & ex multo rerum usu collecta prudenter commendabat; Aristotelis hac in parte aphorismum secutus, qui jubet Magistratus deferri viris virtute praeditis, prudentibus, res quae in eō Magistratu tractari debent callentibus, veracibus & dignis; non ex sensus ratione, sed virtutis & scientie gradu. lib. 7. cap. 7. & 9. rejectis indignis, quos notat Vopiscus in Aurelianum esse amicos improbos, satellites detestandos, eunuchos avarissimos, aulicos vel stultos vel detestabiles; & hisce consimiles, quos vocat Tullius Arcadica pecora Præpotentum favore ad senatoriam præstantiam sine meritō evecta.

Itaque in peramplio hocce Reipublicæ

blicæ munere constitutus nullius non optimi cordatiq; Consiliarii partibus ita perfunctus est, ut cunctæ simul in illo concurrerent genuinæ Viri Consiliarii proprietates; quippe qui cum 22. annorum intercapidine optimis, ac per se quidem prudentissimis horum Septentrionalium Regnum Princibus **CHRISTIANO QVARTO** & **FRIDERICO TERTIO** in hoc gradu censuque Senatorio ab intimis fuerit consiliis, strenua ac ponderosissima quæque illorum opera exquisita sua prudentia sedulò adjuvabat; cum vix in sortem humanam, aut quemquam mortalium, adeoque nec in Principes viros tantum cadat sapientię donum, ut in summâ stationis suæ potestate, tantoque rerum concurrentium congestu proprio consilio cuncta pro-

providere atque dirigere queant. Ad Dei conditionem propè accederet, qui nulli indigeret, sibiique sufficiens esset. Cæterum in hâc terrestri plagâ, in quâ omnia coägmentantur ex actu & potentia, vel ut more Pythagorico loquar, ex pari & impari, ex dextro & sinistro, ex masculô & fœminâ, nihil potest esse ex omni parte absolutum. Verùm ut in suâ quisque Roscius, ut dicitur, arte potest esse; ita nemo omnium scientiam experientiamque assequi valet. Neque ullus prudenterissimorum Principum sine magnis adjutoribus tantam rei molem libravit. Salomon ipse sapientissimus cui nulla benè gerendi ars fuit ignota sine Consiliariis & Senatoribus exitiosum horrebat imperium. Taciti inter civiles gravissimi viri illud erat effatum:

H

Magni



Magni Principis labores quibus orbem  
terrarum capessit adminiculis egere.  
Certum ruinę judicium factum est à  
Thalete, cum Græcis videret nulos  
adesse Senatores. Hoc probè intelli-  
gens Philippus Macedo summā ope-  
nitebatur sapientibus viris hostes ob-  
stare, quorum consilio civitates redde-  
bantur expugnabiles. Propterea dum  
Athenienses obsideret, destinavit Le-  
gatos qui hæc verba proferrent: Si pa-  
cem civitatis vestræ diligitis, decem  
Oratores quos elegero mihi tradite.  
Quibus verbis auditis famâ per totam  
urbem volitante Demosthenes in me-  
dium prorumpens frequentiam popu-  
li sic allocutus est. Viri Athenienses,  
conferebat tempore quodam lupus  
cum pastore, lupus fraudulenter agens  
dixit pastori; controversiam totam  
quæ

quæ est inter nos canes tui procurant;  
hos si mihi tradere volueris, nulla de-  
inceps erit inter nos concertatio. Cre-  
dedit pastor, & datis canibus qui cu-  
stodiebant oves ovile statim dissipat-  
um est. Philippus Macedo lupus est  
rapax, vos omnes estis oves, nos Phi-  
losophi canes sumus, quos sibi quasi  
infensos postulat tribui. Quocirca  
Principes benevolentia & beneficiis  
semper fovere solent consultissimos  
Viros & Consiliarios utpote regni cu-  
stodes. Unde digna imperantis Maje-  
state sententia fuit Antonini Pii; qui  
æquius est, ait, ut tot & tantorum  
amicorum consilia sequar, quām ut  
tot & tanti me unum. Summè certè  
Majestatis est, summæq; Principis pru-  
dentiæ pars prudentiæ non fidere pro-  
priæ; Aliunde enim sibi præsidia quæ-

rit prudentia vera, & prudentissimo-  
rum clarissimorumque virorum pru-  
dentiam suam facit. Ulpianus Jure-  
consultus prætorio præfectus sub Ale-  
xandro Mammæo, omniumque con-  
siliorum ejus particeps, suâ prudentiâ  
Principem, atque adeò totum direxit  
imperium. Propterea quærenti Con-  
stantino Magno quô pacto hic Ale-  
xander & adolescens & Syrus in talem  
evasisset Principem, cum Tiberii, Ca-  
ligulæ, Nerones, Domitianus, Commo-  
di, Juliani ante illum Principes Ro-  
mani sangvinis imperatorum nomen  
dignitatemque turpiter fœdassent? Re-  
sponsum fuit id potissimum moribus  
ac probitati acceptum esse ferendum  
illorum, quos ille Princeps in consilio  
haberet Ulpiani, Julii, Pauli, Pompo-  
nii, Fabii, Sabini: Viri enim hi fue-  
runt

runt præstantissimi; ut habet C. Rutilius in vita Ulpiani: Sapiunt itaque Reges sapientum commercio.

Verum si ulli Principum nostræ memoriæ talem contigit habere virum, certè hac in parte de Illustrissimo hoc Viro gloriari poterunt nostri Principes tantò Consiliario præditi, qui in Regum suorum ac Reipublicæ commodum studia sua totò animo intendens sana semper validisque subnixa rationibus Regi pariter & saluti publicæ profutura consilia suggesit: animū longè diversum præferens ab ingeniiis moribusque illorum, qui inter alia vicia suæ potissimum utilitati inservientes maximò interdum Principum ac Reipublicæ discrimine cum fortunâ magis Principum, quam cum Principe loqvuntur, aurâ dum favet usuri. Quo-

rum prava consilia pravum plerumq;  
fortiuntur eventum, quamvis ad tem-  
pus aliquâ felicitatis usurâ frui videan-  
tur. Ita enim in hanc sententiam Sal-  
lustius ad Cæsarem Orat. 2. Ego ita  
comperi, omnia regna, civitates, nati-  
ones eò usque prosperum habuisse im-  
perium, dum apud eos vera consilia  
valuerunt. Ubi cunq; gratia, livor,  
timor, voluptas ea corruprere, post  
paulò imminutæ opes; deinde adem-  
ptum imperium, postremò servitus  
regnis imposita.

Et reverè quantum mihi per al-  
tum vitę meę, quām procul à publicis  
negotiis transegi, otium atque silenti-  
um datum fuit variarum gentium  
monumenta inquirere, ubique verum  
esse comperi (quod sapientissimè scri-  
ptum reliquit Aristoteles, & ex Ari-  
stote-



stotele Diodorus Siculus, tum & piissimus omnium, quos ego quidem e-  
volvi profanæ historiæ Scriptorum Philip. Com. de Medicæa familia) eo-  
rum omnium qui sævis immoderatis-  
ve in gubernanda hominum societate  
consiliis utuntur, familiam aut vix,  
aut nunquam ad annos usque centum  
viginti in eō imperio permanere. Con-  
stans certe opinio, & omnium rectè  
sentientium firmata consensu. Interim  
tamen boni Principes voto expetendi  
sunt, sed qualescunque tolerandi.  
Quin etiam, quod consultissimi Con-  
siliarii officium est, TROLLIUS no-  
ster de re agenda maturè constituere,  
& quę Reipublicę mala oritura, qui-  
busque modis præcaveri possent, pro-  
eā, quā pollebat, magnā animi sagaci-  
tate pronunciare noverat. Alioquin  
qui-

quilibet esse potest post facta Prometheus. Ille verò quanquam in Senatu omnia maturè prævidebat, nihil tamen absque consultâ & justâ cunctatione deliberabat. Consilium enim, capere in arena & ex tempore potius gladiatoris est quam Senatoris: & perquam raro celeres fœlices nisi forsan in scelere. Omnis sanè res properando parit errores, omniaque sana atque matura consilia ipsaque rerum agendarum tempora ac negotia si non moram & cunctationem, prudentiam tamen postulant celeritati sociatam: equi robur cervi celeritati jungendum est. Itaque celeritatem tantum præcipitibus rebus, cunctationem immaturis, dubiis fortem animum semper adhibuit: ut celeritatem mora, & hæc illam vicissim temperaret.

Porrô

Porrò inconcussum semper penes illum stbat secretorum silentium & Taciturnitas, optimum atque tutissimum Reipublicæ administrandæ vinculum; Tempestivum autem silentium res sapientissima est in Senatore. Qui igitur pro temporis, rerum & locorum opportunitatibus silere nescit, malè supremis adscribitur consiliis. Neque in consiliis quicquam tenebat commune cum Laconicis istis, quos procul à curiâ removendos monet Tacitus; Qui consilii quantumvis egregii, quod non ipsi attulère sunt inimici, & adversus peritos pervicaces. Nam Principis & Reipublicæ saluti potius quam existimationi propriæ consulendum.

Præterea in consultationibus potentiores animi affectus Avaritiam, Fa-

vorem, Odium atque Invidiam matu-  
rè posuit, privata odia publicis utilita-  
tibus remittendo. Quod quidem  
grande est Senatorii ordinis Viri orna-  
mentum, quandoquidem animi mo-  
tus in consiliis continere aut excelsi  
est opus ingenii aut perfecta sapientia:  
ubi autem est fervida vindicta nullum  
habet locum temperata justitia. Ab  
omni lucro inhonesto & acceptatio-  
ne munerum ceu prævaricatione ve-  
ritatis incontaminatam fovebat con-  
scientiam; erecto & excelfo adversusin-  
justas divitias animo. Unde & familia-  
ris illi stabat sententia, fraudulenter  
quæsitas opes eadem forte diffluere,  
quâ petuntur; nullumque diuturnum  
esse fructum ejus quôd iniique paratur.

Sed neque Invidiæ malo, quo ali-  
orum incrementis aliis obfistere livor  
im-

imperat unquam addictus fuit. Est autem Invidia malum ingens, & quod mireris, propriis interdum commodis potentius.

Postremum in consiliis non suum magis, quam Regis ac Reipublicæ commodum intendebat. Quæ rara quidem in humano genere est virtus, cum quisque facilè sequatur quæ trahit utilitas, ut cedat quandoque etiam generosus spiritus utilitati, & concupiscentiæ fortunæque viribus succumbat. Ille verò non occiduum in hęc privatæ utilitatis crimina, sed erectum in omnem virtutis gloriam & honestatem animum præferebat; summè semper exosus clandestina, perfida, & plena versuti & subdoli animi consilia, quorundam apud exterios militaris ordinis virorum, in iis præsertim regi-

onibus, in quibus nec seri nec meti si-  
bi credunt militiæ Præfecti, & improbi  
Magistri, qui fumos circum palatia,  
vendentes suis sinistris extimulati af-  
fectibus, ac privato insuper commodo  
inservientes Summorum Principum,  
imperium non suorum inquilinorum  
benevolentia, sed vi & armis corroboran-  
dum muniendumque esse contendunt; id æquius quod validius est pha-  
leratis verbis referendo; ut in numero-  
sis sustentandis adventitiorum homi-  
num copiis provincias exhauiant,  
adeoque propriæ tantum utilitati in-  
tenti, ac Reipublicæ dispendio inhian-  
tes ipsi in re bene lautâ & auctâ flore-  
ant, aliorumque detimento dignita-  
tis sibi & opum incrementa quærant,  
veteratoriâ calliditate regionibus exi-  
tium, indigentiam Principi, genti pau-  
per-

pertatem & panis inopiam, ipsis sibi  
omnium opes atque fortunas cum du-  
ratura auctoritate accelerantes; præ-  
sertim si perinquis suis consiliis faci-  
les inveniant aures Potentiorum; im-  
memores quod panis indigentium sit  
vita paperum, quô qui defraudat eos  
homo sangvinarius est, ut loquitur Ec-  
clesiaſt. cap. 34. Sed an ejusmodi arti-  
bus accumulatæ opes ad tertiam quo-  
que descendant generationem, vel me-  
silente facile per se intelligunt, qui me-  
moriā temporum revolventes, in fa-  
cris non minus quàm profanis monu-  
mentis pervolutandis occupati, suū re-  
bus pretiū statuere didicerunt. Flagitiū  
certè quod astu celatur ætas indicat; &  
— — cunctis stat terminus ævi.

Anno 1646. postquam interventu  
Christianissimi Regis Galliæ ac confœ-



deratorum Belgicæ ordinum bellum, pace terminassent Principes; ille etiam regiō ex præscriptō ad conterminos Daniæ Svecicos limites pro commutandis Orebroënsis transactionis exscriptis ablegatus fuit; siste[n]te se[...]le ibidem cum pari à parte Svecorum officio Illustrissimo ac Nobilissimo quodam Svecicæ gentis Consiliariô, qui & idem postmodum ad solennem Serenissimi Regis nostri inaugurationem è Sveciâ in Daniam aman-datus Legati vicem implevit.

Anno deinde 1648. Regem nostrum Serenissimum Norvegiæ Regno tunc temporis inaugurandum cum instru-ctâ classe, cuius ipse præfecturam cum imperiô gerebat, ad Norvegos conduxit; atque peractâ inaugura-tionis festivitate in Daniam auguratò re-duxit.

duxit. Itaque ut antea in eligendo, adque sceptrum Daniæ evehendo Regi sua vota suamque industriam operosè comodârat; ita in hoc quoq; itinere promovendę illius per Norvegiam inaugurationi ductor classis & capitis Regii strenuus custos extitit; ac per reliquum deinde vitæ suæ tempus ad consilium ejus & contubernium admissus incorruptam ubique Regiæ Majestati fidem & obsequium ad ultimum usque vitæ terminum probavit.

In exitu Anni 1648. Rex noster clementissimus inter alia propensæ in Illusterrissimum hunc Virum voluntatis suæ testimonia, cunctis ut palam fieret quanta gratia atque clementia recognosceret præclara illius merita in togâ & sagô, terrâ marique pari semper fide & obsequio comprobata, condigno

gno illum virtutis præmio, gloriaq;  
& honestamento condecoratus, in  
honorem virtutum appenso ad pectus  
ejus Elephantis simulacro, quod apud  
nostros Ordinis Aurati signum seu tes-  
sera est, illum juxta cum aliis regni  
Magnatibus primariæ Nobilitatis Vi-  
ris Equitem Auratum renunciavit.  
Quod quidem Ordinis gestamen eâ  
quâ par erat animi præstantiâ, instar  
Equitis re ac nomine strenui, perenni  
postmodum vitæ suæ decursu cum di-  
gnitate præferebat; cum hoc ipso au-  
rati ordinis gestamine cumulatissimè  
simul instructus omnibus illis virtu-  
tum ornamentis, quæ Equitem Aura-  
tum ex institutô Veterum Francorum  
Ordinis conditorum cohonestarent.  
Virtutes autem illas, ut Gallici memo-  
rant Scriptores, comprehendi vole-  
bant

bant in iis, quæ sub hac verborum formula pro creatione Equitis candidati proferebant; ut nimirum esset MILES

M agnanimus in adversitate.

I ngenuus in consangvinitate.

L argifluus in honestate.

E gregius in curialitate, &

S trenuuus in virili probitate.

Hæc ipsissima ceu tessaræ loco verba GUILHELMO Hollandiæ Comiti cum in Imperatorem Roman. electus Equestris auctoramentō decorandus atque imperii Miles consecrandus esset, prælecta fuisse tradit illorum temporum vicinus Scriptor Becanus. Cùm enim Ordinem Auratum in maximâ haberent prisca secula veneratione, ac proinde instruendis Equitibus qui Militaria sive Virilia, ut loquebantur, arma acciperent, multas adhiberent cere-

K

mo-



monias, inter varia quæ illis imposuere militaris regulæ juga hoc præser-tim injungebant Ordinum Candidatis, ut prius vigilarent, balneisque & aliis rebus uterentur (unde & apud Anglos balneorum Equitum nomen) quibus docebant, eos qui hæc arma militaria fusciperent, corde animoque mundos & honestos se præbere oportere; vir-tutis causâ omnes labores perferre; prudentiam in sermone & operibus ostendere. Præ omnibus verò incor-ruptam ubique veritatem proferendo integritatem fidei demonstrare. Qvæ cunctæ Aurati Equitis proprietates, si in ullô aliô, in hoc certè Illustrissimo patriæ nostræ Viro clarissimè eminuerunt.

Agebatur jam Annus 1656, cum paulò ante è vitâ excessisset piæ atque præ-

præclaræ summas ob virtutes memo-  
riæ Illustrissimus & Nobilissimus GRE-  
GORIUS Krabbe de Tørstelund Eques  
Auratus, ac Regni Daniæ Consiliarius,  
Norvegiæ Prorex , arcisque Aggershu-  
sianæ Præfector regius , decujus virtu-  
tibus nihil tam magnificè dici potest  
quod ad meritorum sublimitatem as-  
surgat; qui Vir erat antiquissimi mo-  
ris, semper priscam gravitatem tempe-  
rans humanitate, pius, verax, & ab  
omni avaritia planè alienus. Sacra igi-  
tur Regia Majestas memor consilii Je-  
thro, quod circa electionem Magistra-  
tus Mosi suggessit, omnem intendit cu-  
ram, ut consimilem virtutibus tam  
egregio viro successorem daret, since-  
rum divini nominis cultorem, verita-  
tis amantem, & qui avaritiam detesta-  
retur. Ex ordine autem Senatorio

Excellentissimum hunc elegit Virum,  
cui dicti clavum imperii committeret  
sub titulo Vicarii Regii gubernandum.  
Ille verò sagaci imminentium bello-  
rum formidine revolvebat, quanta ser-  
vitus sit magna fortuna, quām frequen-  
tissimum initium seqvuturæ infelicitati-  
tis sit immensæ dignitatis incremen-  
tum, quamque arduum sit atque per-  
plexi moliminis dubiis turbidisque  
temporibus procul à conspectu Princi-  
pis Rempublicam capessendi & cuncta  
regendi onus, ubi maximè omnem in  
disponendis administrandisque rebus  
imperantium prudentiam, omneque  
superat fortuna consilium: quām mu-  
tabiles undique rerum vices; & quem-  
admodum urbium imperiorumque,  
ita publicam gentium nunc florere,  
nunc consenescere & interire fortu-  
nam;

nam; neque post homines natos quenquam unquam in excelsō gradu fuisse constitutum, cui omnia cessissent prosperè, nusquam adverlante fortunâ; quippe quæ inter ardua bella eò asperiorem reddit imperantium conditionem, quod nihil ex consilio, sed ex eventu omnia ponderare soleat imperitum vulgus; adeò ut haud unquam tam rectè & dextrè res moderetur Magistratus, quin si quando sinister aliquis fortunæ casus Rempublicam vulneret omnem in Imperantes rejiciat culpam. Nec ignoravit Vir sapientissimus haud rarò inveniri in aulis Principum Sycophantas, qui dum æqualem faciunt veritatis & mendacii dignitatem solô usu & tempore definiendam quamvis viam pergrassandi ad opes atque dignitatem ingredientes, ut Principum aures



demulceant, & gratiam e blandiantur, subortâ tempestate omnem lèvi successus eventum Magistratui attribuere consverunt. Cumque non semper apud optimos etiam Principes desit mendacio fides, ubi scurris interdum gratia redditur, ob trectatoribusq; honos, ab omni tempore experientiâ compertum est optimos ac fidelissimos quandoque optimorum Principum Ministros, postquam preclaram Reipublicæ operam navarunt, statione publicâ motos dedecus & indignationem pro gratiâ & benemeritis reportasse.

Proinde rebus adhuc integris & tranquillis de tempestate sibi cogitandum putavit, ne si bella ingruerent, dum rerum ille gubernacula teneret, altâque etiamnum pace florens Norvegiae

giæ Regnum sua quandoque sentiret  
incommoda; id quod adversis tum  
fortunæ casibus rectius adscribendum  
esset, sibi suoque errori vel impruden-  
tiæ imputaretur. Quæ cuncta simul  
& alternantis fortunæ conditionem,  
cum pro acutâ ingenii sui perspicaci-  
tate revolveret, ac declinandi officii  
opportunum circumspiceret effugi-  
um, infirmitatem valetudinis causatus  
apud Regiam Majestatem ejusdem re-  
gii Vicarii munus simul & onus depre-  
cabatur; Exhaustos labores sibi meri-  
tò promeruisse munerum vacationem;  
Per exactam ætatem & quæ ceu indi-  
vidui comites ei plerumque adherent  
morborum incommoda, tanto se one-  
ri sustinendo imparem referens; ac in  
effœta jam senecta oppressum multipli-  
cibus mundi ærumnis animum, fracta-  
que

que & langvescentia insuper laboribus  
membra in declivi adeò ætate consti-  
tuta gratam potius exigere à curis se-  
culi respirationem, quām ponderosis  
ac duraturis ulterius rerum mole-  
stiis pergravari ; inter illa præser-  
tim exulcerata Reipublicæ tempora,  
quæ proximè instare per hostilem Sve-  
corum in illas terras irruptionem non  
inani præfigio nunciabat.

Verùm cum injunctam hanc sibi  
provinciam à se amoliri nequicquam  
tentasset, Rege in proposito persisten-  
te; ad destinatam sibi amplissimæ digni-  
tatis functionem suscipiendam ægrè  
tandem & invitus sese composuit, ra-  
rò equidem moderationis & conti-  
nentiæ exemplō. Exiguus enim est  
numerus illorum, qui dignates atq;  
cminentissima quęque officia quavis  
ratio-

ratione sibi oblata recusanda esse du-  
cunt; quamvis experimento comper-  
tum sit plurimos illorum qui supre-  
mum honoris apicem affectantes per-  
veniunt ad culmen in fastigio & culmi-  
nis lubrico non diu consistere; Verùm  
consimiles sunt prērupta petenti, cuius  
est semper metuere, s̄æpe titubare, s̄æ-  
pissimè corruere. Nempe in ruinam,  
vertitur nimia celsitudo. Unde &  
complures qui digniora affectant in  
Republica subsellia; qui de primis ca-  
pessendis honoribus nimium solliciti  
anxiè laborant ut immoderatæ ambi-  
tionis metam quavis viâ assequantur,  
meritò comparantur cum Ixionibus,  
qui cum nebulâ pro Junone concum-  
bunt, atque ita Centauros procreant:  
dum enim primas venantur in Repu-  
blica sedes facinora s̄æpe emittunt adul-

L

teri-

terina, quibus Reipublicæ facilè paratur excidium. Adagium est omni posteritati à veteribus commendatum; publico laborantem fumo solitum esse in alios expuere miserias. Proinde sicut parva moles, sarcina exigua tutior est magnâ & tumente, ita modicis rebus modicisque honoribus & dignitatibus tutius est ævum & longius; ac semper sunt formidanda sublimia.

Itaque prius ex more, fidei & obsequii in Regem Sacramento in arce Hafniensi ad diem primum mensis Martii Anni 1656. dato, in Norvegiam prosperrò itinere pervenit summo popularium applausu, qui subortam ex amisso nuper desideratissimo sibi Prorege ægritudinem hujus tanti tamque præclaræ existimationis Viri successione extenuarunt, Neque verò conceptam de

de illo modestè ac moderatè gerendi  
imperii spem destituit eventus. Quip-  
pe cum esset conspicuis ac prænitenti-  
bus Antecessoris sui virtutibus similli-  
mus; ac pietate, justitiâ, prudentiâ,  
fortitudine, constantiâ & moderatio-  
ne animi, aliisque virtutum partibus  
ac numeris abundè instructus, eâque  
ratione cum optimis quibusque nostrâ  
Patrumque memoriâ conferendus, in  
hoc qvâm maximè incubuit, suæ ut vi-  
tæ exemplô harum quoque virtutum  
omnium commisso sibi populo facem  
accenderet; sedulò attendens in sum-  
mo Magistratu longum esse per verba  
iter, breve & efficax per exempla. Su-  
periorum autem Magistratum proba-  
tos mores facilè inferiorum & populi  
animos allicere ad imitationem. Econ-  
tra verò inficere omnes malè affectum,

L 2

Ma-

**Magistratum , teste Xenophonte.**  
Transiunt enim subito ad cætera mem-  
bra capitis deliria. Et quod quos ad  
augustum imperandi munus divina e-  
vexit providentia, ut in excelsis Magi-  
stratus gradu ætatem agant, eorum fa-  
cta cunctorum mortalium oculis sint  
exposita, quæ non raro sibi imitanda,  
proponunt inferiores. Adeò ut non  
tam imperio nobis opus sit quam  
exemplò Potentum, quorum facta ceu  
blandissimum jubendi genus censemur.

Quocirca facile intelligens sapien-  
tissimus Prorex Regiminum omnium,  
fundamenta ac firmamenta existere  
pietatem, quâ haud dubiè basi sublatâ,  
facile amplitudinem dignitatemque  
eodem modô labefactatam corruere; ac  
civilia negotia quibus exercentur sum-  
mi Magistratus jactationes esse & flu-  
ctus,

ctus, quæ Reipublicæ naufragium inducunt, nî procellas fuget pietatis & religionis aura; quippe quæ bipartita est nutantis anchora Reipublicæ. Religio enim prolapsa Rempublicam etiam trahit, & colentibus Deos [ea T. Livii prudens censura est] prospera eveniunt. At semper placuisse supremo Numinis pietatem, imperii amplitudine & largô opum accessu munera-ri, neglectæ verò & contemptæ varias irrogari poenas. Ideoque à cultu divino ceu veræ & non umbratilis sapientiæ individuo comite cuncta sua negotia exorsurus Illustrissimus Prorex, diem ab ardentí semper oratione auspicabatur, & quotidiana sacra quæ in arce Aggershusianâ matutinô tempore peraguntur devotâ pietate frequen-tabat; ut nuncuparet Deo vota pro publi-



publicâ salute; & ut in delegato sibi tam ardui ac perplexi regiminis ministeriô rectè perfungendô sapientiâ & consiliô se augeret; utque excitaret suô exemplô ad pietatem ac numinis divini cultum popularium ingenia, quæ vitiô senescentis seculi, in quod execranda omnia confluxere, nimis remissè & perfunctoriè circa divina versantur. Itaque Illustrissimo huic Viro longè diversa fuit opinio à quibusdam depravati nostri seculi hominibus, qui si quid pietati aut religioni tribuendum, id agendum duntaxat arbitrantur ad plebem aut dementandam, aut metu coërcendam, ut populorum ruditati illudatur: nihil generosum, nihil altum concipere magni viri mentem timore Dei devinctam contendentes.

Ad

Ad hoc ipsum Christianæ pietatis officium accesit liberalis dextra, & luculenta, quam egenis subinde pauperibus exhibuit eleemosyna, qva pro sublevanda inopia hominibus egenis, molestā & fallaci mendicitate sublata, alimenta procurabat. Et ut alios ad consimile munificentiae genus in afflictam paupertatem extimularet, varia per diversa tempora Nosocomia, Xenodochia, Scholas luculentis suis adauxit donis. Ac primò quidem pro sublevandis Xenodochii Hafniensis pauperibus centum thaleros imperiales : Scholæ Faroensi quinquaginta : Inde Xenodochio Christianiæ principis urbis Norvegiæ quingentos thaleros : Alumnis Scholæ Roëschildensis aliisque ejusdem loci pauperibus duo millia thalerorum dono dedit, Primarii verò Roëschil-

Roëschildensis templi ædituo qvinqva-  
ginta thaleros impertiit; præviâ condi-  
tione, ut sepulchrum quod sibi ibi-  
dem ante obitum paraverat à spurci-  
tie & fœditate immune servaret. Quæ  
argenti summæ in fœnore occupatæ,  
seu fœneratum beneficium egestati  
pauperum inservirent. Taceo quoti-  
diana illa, quæ piè ac liberaliter in pau-  
peres afflitos dispersit munera, multò  
überiora quàm ut huic calculo aut  
computationi subjici queant.

Inter hæc privatæ & munificæ pie-  
tatis officia publicam tum etiam in-  
tendit curam, ne Xenodochia, Noso-  
comia, aut Scholæ suis uspiam rediti-  
bus fraudarentur, ex officio summum  
illorum patrocinium suscipiendo,  
adeoque panem esurientibus, tunicam  
nudis, patrem pupillis, portum tem-  
pesta-

pestate exilii jactatis per omnem vitam sese præbuit. Cujus piæ in pauperes munificentia & curæ extremo volventium seculorum die in resurrectione justorum indubitatem apud cœlitas mercedem reportabit.

Justitiam & æquitatem quæ Republicæ vincula sunt, sine quibus nihil sunt regna nisi magna latrocinia, ex æquo omnibus ita administravit, ut conscientiæ sua semper constaret integritas. Neque enim pauperis afflictâ conditione, neque ditioris supinâ opulentiâ, nec accusatoris potentiâ, aut nexu sanguinis, nec ullius familiaritate in judiciô movebatur. Nihil unquam favori, nihil gratiæ dabat, nihil in penetralibus ejus venale, nihil ambitioni pervium ; Nec majorem unquam potentia & dignitatis quam æ-

M

qui-



quitatis rationem habebat; Verùm se  
suaque omnia intrà commissi sibi po-  
puli commoda dimensus est. Prescri-  
ptæ civibus legi ipse omnium maximè  
obtemperavit, moribus planè dissimi-  
lis illis Magistratibus, qvi in excelsò  
dignitatis gradu constituti licentiam  
suam potentia amplitudine metiun-  
tur; & dum solutos se legibus huma-  
nis arbitrantur, libidinem habent pro  
legibus, clausum in pectore ferentes  
explodendum illud & detestandum,  
Imperatoris cujusdam effatum dicen-  
tis: tune mihi arma ferenti pergis ci-  
tare leges? Pythagorici illius prorsus  
obliti; stateram ne transilias. Unde  
Plato lib. 9. de legibus; paratum, in-  
quit, exitium illi civitati video, in-  
quâ non lex Magistratibus, sed legi  
Magistratus præsunt; salutem verò illi  
ubi

ubi lex Magistratibus dominatur. Et ut erat ipse justi & æqui observantissimus; ita oppositum illis vitium adeò detestatus est, ut iniquô semper animo ferret, si quando veritati fucum, æquitati insidias, legibus fraudem, innocentiae laqueum fieri tendique animadverteret. Nullô unquam tempore aut sorte à justitiæ orbitâ excutiebatur; neque impetu præcipitis judicii prolabebatur; verùm de dubiis suspensam tenens sententiam rem ante accuratè cognoverat, quàm ad æquitatis lancem ponderabat. Inter severitatem atque mansuetudinem ceu mediām ingressus viam ita rigori clementiam temperamento quodam adhibito sociabat, ut nec pœnitentiam repelleret, nec impunitatem daret excessui Summi nostri Justitiæ Præsidis FRIDERICI

M 2

RICI TERTII nusquam non laudan-  
dam justitiam simul cum ipsa, quam  
representabat, persona secutus. Rex  
enim noster clementiæ & justitiæ ac  
virtutum omnium promus condus,  
quòd ex sensu Salom. Proverb. 16. Ju-  
stitia confirmari solium, gentesque ele-  
vari; atque ex Platone nihil statuat  
melius esse Justitiâ, quæ principatum  
inter virtutes tenet, ceu primum ea-  
rum ornamentum, vel hoc solô nomi-  
ne numerari meretur inter optimos,  
quos prisca viderunt secula Imperato-  
res, Trajanum, Antoninum Pium, Se-  
ptinium Severum, Alexandrumque  
Mammæum, quos à laudatâ illâ & be-  
nè moratâ Roman. Republica maximis  
præconiis, magnoque statuarum nu-  
merô decoratos fuisse ex Historiarum,  
incorruptis monumentis accepimus.

Sed

Sed & in infinitum certè preferendus est illi, quem recentior adhuc ætas præ omnibus à Justitiâ commendat FRI-DERICO TERTIO Roman. Imperii Moderatori, quem non minus ipso nomine, quam regiâ virtute refert Serenissimus Rex noster FRIDERICUS TERTIUS. Ille enim Imperator inter alia præclara Justitiæ documenta, cum LAODISLAUM puerum Hungariæ & Bohemiæ Regem suô in palatio educandum foveret, ac svaderent nonnulli, quibus utile honestô potenter erat, ut unius corpusculi casu sine invidiâ atqve infamiâ duo potentissima regna sibi adjungeret; animo verè magnô ostendens pluris esse sibi justitiam quàm regnorum congeriem; salutari monitione scelerata consilia repressit: Quid ergo, inquiens, divi-

tem potius, quam justum Regem vultis? quō eos responsō perculit, cūm viderent eodem illum in ipsos jure usurum, quod ii in alienum dictas- sent; adeò ut magno illis ferè stetisset infandum consilium. Sancta equidem est laudabilisque Justitia, sub quā & per quam securitas regnat, pax trium- phat, dignitas floret, & fructum affert in patientia: quæque Reges regnō fa- cit majores. Nullibi autem magis flac- cescunt ditiones & imperia, quam ubi jus & æqvum in gerendis rebus con- culcatur. Pereant status, evertantur regna necesse est ubi deficit tutelare, Numen intaminata Justitia.

Quin & cumulatissimæ Illustriſſimi  
hujus Viri sapientiæ, sumē animi fortitu-  
dinis & constantiæ inter clarissimorum  
illius operū officia, quibus profundam  
sibi

sibi virtutum illarum famam circumde-  
dit, expressa vestigia & publica extant  
argumenta, tot tantaque terrâ mari-  
que gesta Reipublicæ munera, ad quæ  
Illustrissimum Rroregem non nisi spe-  
ctata viri sapientia provehebat, eâ qui-  
dem dexteritate transacta, ut dum ab  
uno ad alterum ampliori semper ho-  
noris gradu ascenderet, proximum  
quodque officium sequentis esset illi-  
us gloriæ & dignitatis instrumentum,  
simul & incrementum.

Tum & dexterima illius administra-  
tio clarissimè emicuit, cum inter cruen-  
ta atq; furialia arma, quibus ultimis bel-  
lorū incendiis acerrimè flagravit Nor-  
vegię regnū, & circumsonantibus undi-  
que periculis omnia essent præcipitia in  
Republica, inque re trepidâ ac confusâ  
magnaque consternatione versarentur  
inco-

incolarum animi fatalem fere genita-  
lis soli periodum præ oculis spæctanti-  
um: cum neque è socio Daniæ regno  
(quippe quod inter illa tum etiam ar-  
mis virisque incitatissima tempora  
suô quoque cum fatô luætabatur) quic-  
quam opis & præsidii sperari posset,  
ille labantem & suæ tum proximam  
ruinæ Reipublicam non tantum in-  
integrum restauravit, verùm etiam to-  
tas provincias, & latè patentia terra-  
rum spatia non ita pridem aut bellô:  
nobis extorta, aut pacificâ transactio-  
ne avulsa regno restituit: populô:que  
inter arma hostilia gravissimô servitu-  
tis jugô oppressô pristinum libertatis  
usum recuperavit. Quæ cuncta saga-  
ci Illustrissimi hujus Viri consilio, for-  
titudini animi, atque infractæ illius  
constantiaz, quibus rerum habendas mo-  
dera-

derabatur, non immeritò accepta fere-  
bant incolæ; qui propterea laudes &  
præconia illius æternæ consecrarunt  
memoriæ, unō ore animoqué con-  
sentientes de tanti Proregis virtutibus  
nihil tam magnificè dici posse, quod  
ad meritorum sublimitatem assurgat,  
ut admiranda ejus inter aspera tempo-  
ra prudentia illustriaqué facta, atque  
invicta supra omnes adversitates mens,  
intemeratusque in populum amor, &  
singularis moderatio nullo unquam  
tempore intermoritura, universæ illi-  
us gentis lingvis extollatur & celebre-  
tur. Quâ in parte Serenissimi Regis  
nostrî FRIDERICI TERTII invi-  
ctam fortitudinem & gloriosam con-  
stantiam, quâ iisdem exulceratis tem-  
poribus inclinatam ac prope jacentem  
Rempublicam ad pristinam brevi ere-

N

xit



xit fortunam , validi strenuique instar  
Proregis ita sectatus est, ut tantô Rege  
dignissimus Prorex jure meritoque ha-  
beretur.

Neque etiam cum res & locus exi-  
gat, suô fraudandus est encomiô ille,  
cujus singulari operâ Illustrissimus Pro-  
rex in hoc bello usus est, Vir preter ge-  
neris antiquam nobilitatem , usu re-  
rum & consulta prudentia, reique mi-  
litaris experientia clarus, Illustrissimus  
& Nobilissimus **GEORGIVS BIELCKE** de  
**Høsvidsholm** Consiliarius Regius,  
Locum-tenens Generalis, Assesor in  
Collegio Militari, & districtus Calun-  
danensis Prefectus Regius; qui circa  
hæc tempora nostræ apud Norvagos  
Prefectus militiæ constitutus , & Lo-  
cum-tenantis Generalis , ut vulgo lo-  
quuntur, officio cohonestatus non  
exi-

exiguam victi sæpius & contusi hostis gloriā reportavit, cum existimatione nominis sui seram ad posteritatem duraturā. Cujus strenuam Viri operam ulterius non attingo, moderationem, simul ac mores seculi secutus, qui viventis cuiusvis virtutes non nisi post obitum prolixè extendunt.

Præter hæc tantæ Pietatis, Justitiæ, Prudentiæ & Fortitudinis specimina, præclara in illo refulsit modestiæ virtus tantò impensius deprædicanda, quanto difficilius est in alto positum, alta non sapere. Superiorum certè superbiam etiam ipsâ crudelitate magis fastidierunt prisca secula, test. Flor. lib. i. cap. 7. maximum equidem ubi in summa potestate deprehenditur vitium, dum cuncta mortalium incertæ; quantoque plus adepti sunt, tantò



magis in lubrico se esse non attendunt,  
Tac. lib. i. Nec minus homines se es-  
se, quam hominibus præesse perpen-  
dunt. Reverè omnes si ad primam  
originem revocentur à Deo sunt. Un-  
de Plato ait, nullum Regem non à ser-  
vis esse oriundum, nullum servum non  
ex Regibus: omnia ista longa miscet  
varietas; attestante hoc ipsum sapien-  
tissimò omnium, quos unquam Gallia  
habuit, Regum **LUDOVICO UN-**  
**DECIMO**; cuius proinde extat de-  
cantatisimum omnibus gentibus effa-  
tum: Dedecus & detrimentum sunt  
comites & veluti pedissequæ super-  
biæ. Cominæ. lib. 2. At in inferiori  
Magistratu multò magis abominan-  
dum est vitium, cum plerumq; trans-  
versos primum egisse superbiam, mox-  
que in calum dedisse omnium tempo-  
rum

rum monumenta testentur. Nam  
— — frangit Deus omne superbū,  
Magna cadunt, inflata crepant, tume-  
facta premuntur.

Neque etiam cohærent publicum bo-  
num & privatus animi tumor in admi-  
nistrandâ Republicâ. Plura tentat ela-  
ta mens, & magn⁹ ille Contemptor A-  
nimus quæ casum minantur. Reipu-  
blicæ basis, quæ senatorio opere con-  
struitur tutior est in imō collocata,  
quām ad fastigia tectorū evecta. Super-  
bos Senatores tria necessariò, inquit  
Val. Max. seqvuntur mala; error in con-  
siliis, infœlicitas in eventibus, superio-  
rum vindicta in criminibus. Neque  
enim ignarus erat moderatissimi animi  
Prorex, nihil lethalius Reipublicæ con-  
tingere posse regentium superbiâ atque  
animi elatione. Nihil enim tam san-

ctum, quod non contemnat, nihil tam  
justum, quod non violet tumida mens  
inflata regimine. Superbus Guberna-  
tor, inquit Plato, primùm à Deo de-  
seritur, desertus omnia interturbat,  
nec multò post pœnas solvens super-  
biæ sibi & Reipublicæ perniciem acer-  
sit. Itaque modestiam & cum humi-  
libus familiaritatem ceu radicem & al-  
tricem veræ humanitatis sibi rectè vin-  
dicavit Illustrissimus Prorex: imò pru-  
denti moderatione, verâ religione,  
consultâ innocentia, innoxiâ liberta-  
te, summâ castitate & singulari mode-  
stiâ Magistratum gerebat; nullum ut ab  
eô prætermissum fuerit officium pru-  
dentis, diligentisque & moderati im-  
perii. Modestiam autem cum digni-  
tate, comitatem cum gravitate gere-  
bat, adeò ut nihil modestiæ severitas,  
nihil

nihil sinceritati gravitas, nihil maximæ illius autoritati comis humanitas detraheret; facilis enim ad ipsum, cuivis queribundo patuit accessus: auditos autem solatii plenos dimisit, tristis ut à voce ejus nemo discederet; quod ceu summum Imperatoriæ virtutis argumentum proponit Svetonius. Sed omnibus in respondendo benevolus, in officiorum pollicitatione gravis, iisque denegandis minimè superciliosus, in reprehendendo neutiquam injurius, asper aut ferox. Potentiâ suâ in tantô fastigiô collocatus nunquam ad impotentiam usus est, sed memor quod optimi ac moderatissimi Regis FRIDERICI TERTII, in quo clementissimi Imperatoris expressum exemplum & intuemur & suspicimus, vicem sustineret ac personam

nam representaret, ejusdem laudes placabilitate atque modestiam in parte sibi commissa sedulo sectatus est. In secundis nunquam confidens, in adversis nunquam deficiens, invictum supra utramque fortunam animo alternas esse rerum vices prudenter intellexit. Neque vero in summa potestatis suae amplitudine, quam Proregio officio fungebatur, & nomine tenuis Principem referebat, ab ripiebatur licentiae ventis: haud nescius imperatoriam felicitatem in eo consistere, quod facere possint quantum velint; magnitudinem vero, velle quantum conveniens sit.

Constantiam tantum vigebat, ut animal in potestate habens, sibi quam semel legem dixerat, ubique servaret, non altitudine dignitatis elatus, non casu

casu depresso; sed quasi cum virtute, sponsione factâ, nunquam à rectâ ratione deflechteret, omnes turbulentas, concitatas & iniquas animi permotiones ratione suppressimendo.

Conscientiam & famam administratori Reipublicæ res maximè necessarias præ oculis semper habuit; haud nescius quod decor Magistratus sit fiducia fidelis conscientiæ, & decor summus splendor bonæ opinionis. Bona conscientia & fama, inquit Tullius, Respublicæ stant & solidantur, unaque nutante nutat imperium. Tiberius ipse ad Senatum Rom. per Tacitum documenta transmittit, tueri Conscientiam & Famam, quibus velut adminiculis Deorum ope fines non agnoscit imperium. Demetrium Phalereum cuius prudentissimis gestis ab Atheniensibus

O

tre-



trecentæ erectæ sunt statuæ hæc duo  
lumina perillustrem fecere

— — — Fax mentis honestæ  
Gloria — — — — —

Per tot tantasque virtutes cœlo  
conterminas, quibus ceu solido fun-  
damento innixa stabant cuncta illius  
proposita; perque honoratissima quæ-  
que Reipublicæ munera viam tandem  
ad eminentissimum illud fastigium,  
atque sublimem Proregii officii, Sena-  
toriamque regni peramplam dignita-  
tem emensus est. In quo quidem mu-  
neris dignitatisque fastigio ita suas  
semper actiones attemperavit; ita san-  
cte legum robori imperioque fasces  
submisit, ut subditis non vulgari ad be-  
nè modesteque vivendum præbito  
exemplo & incitamento, nullis non  
optimi ac moderatissimi Proregis par-  
tibus

tibus perfungeretur; quippe qui à pri-  
mô statim initiô ad ultimam usque ge-  
sti regiminis metam post Dei timorem,  
neque prius neque antiquius quic-  
quam habuit, quām ut Regi suo subdi-  
torum obseqvium, & ultroneum amo-  
rem; populo gratiam regiam & cle-  
mentiam; Reipublicæ incrementum  
& prosperitatem; ipsi sibi sempiternam  
æqvissimi Magistratus existimationem  
compararet. Econtra verò, ut omni-  
bus modis caveret & averteret ea, quæ  
in subditis & commisso sibi populo o-  
dium suæ excitarent administrationis;  
rectè perpendens, imperio, imperanti-  
bus, ac Rebuspublicis rem maximè  
exitiosam esse subditorum odium,  
quod ex oneribus invectis, vel malè  
imperantium gestis excitatur in regi-  
men. Unde & sapientissimi Proregis



animo semper inhærebant verba Plinii ad Trajanum: Multorum odiis nullas opes, nullas vires, nullum consilium posse resistere; nullamque imperii vim tantam esse, quæ premente subditorum odio ac metu possit esse diuturna. Unum autem esse inexpugnabile Reipublicæ munimentum subditorum amorem, ac frustra sese Reipublicæ Gubernatores terrore succingere, nisi charitate sepiantur. Odio enim irritantur odia, & pessimus est custos diuturnitatis metus. Quocirca firma illi hæc stabant edicta Isocratis ad Nicoclem Regem: nimirum tutissimam Reipublicæ custodiam non turribus, propugnaculis; mœnibus, satellitibus aut arinis contineri; sed amicorum præsidis, civium benevolentia, & propriâ virtute; in hoc unicè incumbens, ut



ut imperium Norvegicum opibus firmum, gloriâ amplum, pietate, justitiâ, ceterisque virtutibus instructum esse posset.

Inter hæc omnia non suô, sed subditorum Regiorum ac commissi sibi populi compendiô Reipublicæ emolumentum ponderabat; omnes ut ex æquo intelligerent illum ex Trajani precepto, qui omne imperatoriæ laudis punctum ferebat, se suaque populo atque egregio publico consecrasse. Tantus autem, quod eidem Tajano tribuit Victor, erat in illo rerum maximarum modus, ut quasi temperamentô virtutes omnes miscuisse videretur.

Et ut erat non solùm flagitiosorum facinorum acerrimus vindex, verùm etiam bonorum hominum benignus promotor, tam vindictæ quam

O 3 favo-



favoris & benevolentia armis se muni-  
verat, quibus integræ famæ viros pro-  
texit, in perversos gladiô vel aliô sup-  
plicii genere pro ratione delictorum  
animadvertis: adeò ut clementem se  
simul & infensum malis preberet;  
dumque sceleratis indignabatur, im-  
probitatis non personæ odium præ se  
ferebat. Sic scilicet pro diversitate me-  
ritorum supplicium aut præmium  
ostendendo optimos in fide, pessimos  
in metu continebat. Ante omnes, il-  
los quos pertractandis Reipublicæ ne-  
gotiis aptos fidosque deprehenderat,  
quantum id quidem in sua potestate  
situm erat, publica ad munera prove-  
hebat, remotis rejectisq; quos inutiles,  
atque opposito fidei & obsequio cri-  
mine contactos noverat.

Et

Et ut compendio dicam id, quô  
in hac vitâ, & commissa sibi statione,  
nobilius nihil aut beatius est; quodq;  
virtutem ejus multis in rebus conspi-  
cuam ac prænitentem altissimè illu-  
minavit, invictô animô suæ pariter at-  
que alienæ fortunæ obviam semper  
processit, perpetuisq;ue honestatis &  
beneficentiæ operibus insitæ virtutis  
famam extendit: adeò ut veram per  
omnia virtutis viam, quam semel in-  
gressus erat, constanti terens gradu o-  
culos & conspectum à damnando su-  
perbiæ vitio, mentem ac penetralia  
pectoris ab avaritiâ & perversâ haben-  
di cupidine, animum à Dei Sacrorum-  
que contemptu, manum ab omni ini-  
quitate incontaminatam, lingvam &  
sermonem à vanâ seculi falsitate planè  
alienum haberet: salutiferi memor  
con-



consilii Ecclesiast. cap. 7. Ne quid ma-  
li facias, & malum te non comprehen-  
det. Recede ab eô, quod iniqvum est,  
& declinabit à te peccatum. Ne com-  
mittas semen fulcis injustitiæ, ne septi-  
es tantò ampliorem inde messem facias.

Quandoquidem verò vulgo inest  
malignum quiddam & querulum in-  
imperantes: teste Plutar. obtrectatio-  
nisqué livor rebus maximè conspicuis  
insultare consuevit; ut nulla tam mo-  
desta sit fœlicitas, quæ malignitatis  
dentes vitare; nullus unquam Magi-  
stratus, quamvis ex favore Numinis  
Pietate, Justitiâ, Prudentiâ ac Modera-  
tione, aliisque artium ac naturæ doti-  
bus cumulatissimè sit instructus, cun-  
ctorum vota ac desideria explere po-  
tuerit. Est quippe hoc mortalibus in-  
natum, latius ut se extendant immen-  
sæ

ſe hominum cupiditates, quām ut ju-  
ſti & æqui observans Magistratus ſin-  
gulorum deſideriis (dummodò ſpar-  
tam ſibi commiſſam ex officio orna-  
re intendit) ſatisfacere queat. Quo-  
circa neminem qui ſanō valet judiciō,  
id movere potest aut debet, quòd  
Illiſtrissimus ille Norvegiæ Prorex  
ſuō etiam cum fatō hac in parte  
luctatus caninos contra ſe maligno-  
rum hominum dentes perſenferit.  
Cūm enim vicarii regii munus apud  
Norvegos laudandâ administratione  
obiret, & in cathedrâ gloriæ & ſupre-  
mo tum dignitatis culmine constitu-  
tus eſſet, homo quidam adventitus  
SCHRÖDERUS nomine ex fece vulgi  
concretus, ſed protriti pudoris, & in-  
geniosiſimè nequam, qui, quâ nescio  
virtutum ſpecie ad insperatam Nobili-

P

ta-

tatem sublevatus , & cum ea insimul  
LEVENCLOVII cognomentum sorti-  
tus, ut inveterata omnium ferè fert  
consuetudo hominum , qui è parvis  
initiis ad subitam & insperatam digni-  
tatem assurgunt, cùm subitâ novæ no-  
bilitatis imaginè, nimiaque gloriæ ver-  
tigine abreptus, atque erecto superbiæ  
spiritu sublevatus esset, stolidâ ferox  
audaciâ eò temeritatis progressus est,  
ut eminentissimum Proregem clande-  
stinis primò calumniis fugillare; mox-  
que cum non intra secreta staret verba  
rancida circumforanei gerronis scurri-  
litas, perversissimorum quorundam  
hominum mutuum cum illo facienti-  
um & frigidam suffudentium fulta  
hortatu & suggestionibus, publica &  
prægravia illi crimina impingere non  
erubuerit. Verùm cum de conjunctâ  
cum

cum innocentia atque integritate vita  
Illustrissimi Viri prudentia non inco-  
lis duntaxat, verum universo prope-  
modum septentrionalium horum re-  
gnorum orbi constaret, ut magna me-  
liorque pars incolentium mendacissi-  
mi obtrectatoris calumniis fidem non  
adhiberet; excelsi animi Prorex inter  
initia eam injuria non magnopere irrita-  
batur; sed superne despiciebat, ut spre-  
ta exolesceret; & ceu irritus ingenti  
scopulo fluctus illideretur. Neque  
enim immanis & generosa fera ad ca-  
nis latratum impensè movetur; vehe-  
mentioresque animi affectus, ut impe-  
rio & summæ potestati contrarios, ita  
à suâ gravitate planè alienos esse vole-  
bat. Gnarus tamen, quod haud raro  
injuriarum tolerantia in ignaviæ op-  
probrium vel conscientiam vertatur,

P 2

quod-



quodque moderationis est, vitio applicetur: simul ne nimiâ licentiâ subministraret ulteriores calumniandi illecebras, innoxius Prorex diluendo criminis (si quid forte sinistræ opinonis apud credulum vulgus resedisset) publicum circumspiciens remedium supplicibus à Regiâ Majestate votis contendit, ut hanc causam, quandoquidem de summâ nominis sui existimatione ageretur, in supremo regni foro arbitrandam sisteret; quô obtento Illustrissimus Prorex coram pleno Ordinum confessu objecta sibi crimina in solidum refellendo injustas adversæ partis criminationes contrariis adeô evicit argumentis, ut falsissimus ille calumnior ex sententiâ in illum publicè pronunciatâ regni mox finibus ejiciendus famâ fortunisque excide-

deret; atque ademptō illi novæ nobilitatis titulō illustre LEVENCLOVII cognomentum cum pristino SCHRÖDERI nomine commutaret; probrosiori certè supplicii generi ex precripto legis patriæ destinatus, nisi pronus ad condonandum ipse moderationis animi Prorex jugi apud Regem plenumque Senatum intercessione destinato illum capitis suppicio exemisset. Sic scilicet propudosus ille calophanta tantō alioquin dignus suppicio, quod ultimum comminisci, aut decernere vindicta posset, moderatissimi Viri indulgentiâ elapsus est: atque amissō tantum novæ Nobilitatis (quam in astragalis, & sine additamentō virtutum, pro tempore gesserat) titulō, exultatione ac famæ fortunarumque jactura multatus horrendum mortis suppli-

cium evasit, infrunitæ suæ temeritatis atque superbiæ leve sic satis respectu criminis supplicium sortitus, nisi forte præ tanta infamia mors tum in optatis fuerit illi, qui indignus anima eam tanto scelere oneraverat. Latam sententiam eadem, qua pronunciata fuit, lexi ac formulâ hic proximè subjicere non abs re futurum existimavi. Hæc autem habuit:

Quandoquidem GEORGIUS SCHRÖDER US hactenus cognomento LEVENCLOV generalis annonæ militaris apud Norvagos Prefectus diversa Dn. NICOLAUS TROLLE famæ & capitatis crimina impegerit; neque tamen eorum quicquam probaverit; NICOLAUS TROLLE horum omnium à nominato SCHRÖDERO objectorum sibi criminum exors in solidum pronun-

nunciatur. GEORGIUS autem SCHRÖDERUS ob intentata illi, at non probata crimina, ceu mendax existimatione & famâ multatur, Nobilitatis nomine atque insigni imposterum privatus; sed absque prejudicio conjugis & liberorum.

Eodem temporis & loci vestigiō non absimile ultimæ temeritatis exemplum præbuit garrula uxor cuiusdam Medici, fœmina mediō genere nata, sed inquies, & ultra sortem temeraria; quippe quæ immodica affectuum per inconsultam lingvæ volubilitatem viro cuidam Consulari, homini integerissimæ vitæ & famæ ponderosissima quæque crimina per calumniam intentabat; illô suâ subnixô innocentia caufam ex patriô jure arbitrandam permitten te ipsi Proregi ac loci Episcopo; qui cum

cum justi & æqui observantes senten-  
tiam insolenti huic fœminæ minùs  
gratam & commodam pronuncias-  
sent, illa planè in rabiem versa, ac no-  
vi furoris æstrō percita, illos itidem,  
ceu adversæ parti faventes parumque  
æquos sibi judices capit is fortunarum-  
que postulabat; moxque in Daniam  
se convertens secretis molitionibus  
variè illos in palatio Regio traducere  
satagebat. Quamvis autem Rex noster  
Serenissimus pro insigni suâ sapientia,  
graviorum criminum delationes non  
facili negotio excipiat, nec fidem ad-  
hibeat delatoribus huic humanæ natu-  
ræ vitio addictis; rectè judicans nem-  
nem innocentem esse posse, si accusas-  
se sat esset; sed immaturam credulita-  
tem Matrem esse erroris, Novercam,  
consilii, Justitiæ inimicam: Illa tamen  
cre-



crebris & importunis delationibus ac querimoniis suæ insistere accusationi non intermisit. Nec contenta sibi soli exitium execrando facinore accelerasse propudiosa mulier, nisi ipsum quoque maritum, virum pusillum & inconsultum ultimo & communi secum vitæ discrimini involvisset. Ille enim, incertum muliebri incitamentō, a spontaneō motu, ut pro tuenda uxoris incolumitate propriam ultimis implicaret periculis, injustam & periniquam conjugis causam stolidō consiliō patrocinandam defendendamque suscepit. Itaque res eò deducta est, ut in supremō regni tribunali negotium hoc ventilandum ac decidendum proponeretur; ubi quamvis ingeniosissima, adquæ sui tutelam nugacissima mulier exquisito verborum apparatu

Q

va-

varia in medium proferret; cùm tamen parum sibi constaret, malè cohærentibus inter se fere illius hyperbolicæ loquacitatis ambagibus, manifestissimi convicta mendacii causâ cecidit, sententia publicè pronunciata, qua quodnam supplicii genus illi irrogandum esset, Senatus Regiæ Majestatis arbitrio reliquit. Rex auditâ controversiâ sententiam pronunciavit, quâ mendacissima mulier perpetuæ & ad mortem, usque duraturæ custodiæ mandaretur; maritus verò, quandoquidem strenuum ac publicum fere perversæ uxoriæ litis patronum propugnatoremque præstitisset, communi cum illâ carceri & custodiæ includeretur. Moxque ad Vardehusam conterminum Russiæ propugnaculum uterque amandati, ac suæ superstites poenæ relicti supplicium



um capit is quod m eruerant, squalore carceris & permaniturâ captivitate, pependerunt. Sic scilicet ardeliones & sycophantæ, quibus obsonium est alienum affectare exitium, suum plerumque experiuntur occasum.

Postquam quintum jam annum rerum in Norvegiâ habenas fortiter fœliciterque ad Ordinum vota Prorex moderatus fuisset, paxque inter regna coaluisset, compositis tum placatisq; Norvegiæ rebus in Daniam illum Rex evocavit, denunciavitque se illius operâ atque consiliô ad ponderosa regni negotia indigere; quibus pertractandis cum illius præsentia opus esset, ut positâ jam Norvegarum rerum curâ propius ab aulâ regia in principe urbe Hafnia regia sede imposterum consideret, necesse esse. Ille tum regiô

Q 2

man-



mandato promptis obseqviis obtemperatus abdicandi Magistratus gratia in Norvegiam statim se recepit; ubi convasatis rebus, consalutatisque Ordinibus deponendi muneris consilium aperuit.

Quô auditô publica & communi voce preproperam nec minus insperatam optimi Proregis abdicationem Ordines plangebant. Tanta enim prudentia & moderatione, ut supra ostensum, in sublimi vicariatus regii dignitate Rempublicam administraverat, ut omnes Titi Pomponii virtutes, quarum pulcherrima extant in antiquitate monumenta, cum Illustri hoc Prorege communes essent: quippe per omne gesti regiminis spatium in id maximè incubuerat, ut juxta cum Regis sui ac publica salute sibi relinqueret  
præ-

præclarum modestiæ & moderationis nomen, pro propaganda fama post discessum. Unde & optimo jure commeritus est consimile testimonium, quale Moses & Samuel populo Israëlitico valedicturi obtinuerunt. Cum enim hæc loqueretur Samuel: Ego jam senui & incanui. En ergo testificamini contra me coram Jehova, & coram Uncto ejus, an bovem cuiusquam tulerim, & asinum cuiusquam acceperim, & cui vim intulerim, & quem contriverim, & de manu ejus tulerim redemptionis pretium, & occultaverim oculos meos ab eo: & restituam vobis. Israëlitæ responderunt: non vim intulisti nobis, nec attrivisti nos, nec tulisti de manu cuiusquam quidpiam. Et dixit eis: Testis est Jehova contra vos, & testis Unctus ejus

Q 3

die



die hoc, quod non inveneritis in ma-  
nu mea quidquam. Et dixit, Testis.  
I. Sam. 12.

Itaque abdicatô Norvegiæ Proregis  
officiô reliqum vitæ & stationis suæ  
tempus juxta cum aliis regni Senato-  
ribus Hafniæ transegit; nisi quod per  
hyemem, modicô quandoque secessu  
respiraret à negotiis, & tædia tempo-  
rum levaret. Unde ante comitiorum  
solennia redux audiendis ventilandis-  
que in summo regni dicasterio causis  
tantopere incubuit, ut in quantum  
quidem valetudo permiserat, nullum  
fere tempus huic negotio destinatum  
neglexerit, ibique sententiam suam  
adeò ex æquo & bono pronunciavit,  
absque respectu ordinis aut personæ,  
ut in administrando proferendoque  
jure atque omnibus officii sui parti-  
bus

bus ritè perfungendo æquissimè Judicis famam re & nomine retulerit. Tam acuti enim & perspicacis erat ingenii, tamque solertis & peracris judicii, ut etiam consultissimis quandoque viris, cum per litium anfractus animò penderent, per eximiam gravissimi sanissimiq; illius judicii perspicacitatem illo consulto scrupuli eximerentur. Neq; cuiquam unquam privatis in rebus suò defuit roganti consiliò, compluribus illum ceu profundæ sapientiæ virum consulentibus. Vigebat quippe in illo senilis prudentia, qualem in Nestore fuisse Græcorum scripta trididerunt: adeò ut summi, medii, infimi in maximâ illum habuerint veneratione. Insignes eruditione Viros summò semper favore complexus est; quos inter (ut plurimos, qui fato suo functi sunt,

sunt, maxima dum vixerunt patriæ  
nostræ lumina lubens præteream) pri-  
mum locum meritò obtinebat ingens  
illud Philologorum & Medicorum de-  
cus; D. THOMAS BARTHOLINUS; quip-  
pe quô superiorem patria nostra vix  
habuit; parem certè nostra ætas non  
vidit, & dubium an unquam habitura  
sit. Tum & Viros Amplissimos, Con-  
sultissimos, & Excellentissimos Dn.  
PETRUM LASSENİUM, Dn. M. ERAS-  
MUM VİNDİNGİUM, Dn. M. VİTUM  
BERİNGİUM supremi tribunalis Justi-  
tiæ Asseſſores: & dum præfecturam,  
Roëſchildensem gerebat M. ENEVAL-  
DUM RANULFIUM, atque M. JOHAN-  
NEM CALUNDANUM, qui præter sum-  
mam literariæ rei scientiam ob mag-  
num insuper rerum usum & exquisi-  
tam experientiam dignissimi, qui sum-  
mo-

morum quorumvis virorum commer-  
ciis & contubernio adhibeantur. Tan-  
tô autem studiô omne literarum ge-  
nus cognoscendi ardebat, ut de ipso  
quod de Cicerone meritò dici possit,  
quod nisi propter Reipublicæ nego-  
tia à literis abstractus fuisset, ut Cicero  
Aristotelem, ita Illustrissimus hic  
**TROLLIUS** noster quosvis sui secu-  
li doctos longè superasset.

Inter hæc cum animo subjiceret in  
extremo se ætatis constitutum, atque  
effœtæ senectuti ferales sensim obrepe-  
re morbos; quod ipsa senectus pro-  
priô ad interitum pondere pressa ver-  
gat, & quod lapsui vicinum quicquid  
senio constat; sacras meditationes ad  
mortalitatis nostræ conditionem, &  
fragilis inconstantisque vitæ sortem  
direxit; quòd nimirum prodromus

R mor-

mortis sit vitæ nostræ initium, nec ante increscat ætas, quām pari quoque passu decrescat; ac se humanis legibus non exemptum, nec perpetua in terris vitæ spatia ulli mortalium concessa; sed finita cum infinitis inevitabili necessitate omnibus mortalibus commutanda esse. Quapropter de domo ac familiâ suâ disponenda sollicitus, stabiliendæ concordiæ & præcavendis (si quæ post excessum suum inter suos exoriri possent) dissensionum fomentis Deo hominibusque invisis, Testamentum regiâ ex indulgentiâ condere aggressus est: in quô pro consummatâ suâ sapientia nihil intermisit, quod ad declarandam imprimis religiosissimam in Deum pietatem, intenſissimum erga conjugem affectum, liberorum sollicitam curam, piam erga pau-

pauperes munificentiam, prolixam erga servos suos liberalitatem, postremò animum erga omnes propensum, candidum & incorruptum pertinere posset. Prædia sua & possessiones superstites inter heredes tam justè atque prudenter distribuit, ut hac ipsâ distributione omnis inter illos controversiæ ansa in solidum sublata videretur; adjunctâ obtestatione Deo coram & omnibus terrarum gentibus, se in eō partitionis negotio nihil commisſe contrarium rectæ rationi, aut repugnans justitiæ & æquali suarum inter liberos possessionum partitioni. In cuius rei testimonium fidemque advocavit æternum Numen, sicut propriō id scriptō illustri hoc pietatis monumento signatum reliquit: Contestor supremum Numen me hac in parte,

R 2

aliud

aliud nihil interdisse, quam aqualem & legitimam meos inter liberos partitionem, pro arcendis seditionibus, stabiliendaque ac conservandâ candidâ & constanti, quæ grata est Deo, fratres inter & sorores concordiâ. Quodsi illorum quisquam aversô alienoqe ab his animô dissidia & contentiones præferat, ipsum ab altissimi Numinis vindictâ non simplici modo illi proximè expectandâ sibi cavere oportet.

Tum & inter alia piæ mentis argumenta animum contestatus planè aversum à supervacuis illis ceremoniis, quas condecorandis honorandisque exequiis variè introduxit pomposus seculi fastus, hoc impendiò flagitavit, ut cum è vitâ excessisset, cassum mox animâ corpus ad destinatum jam pri dem in Cathedrali templo Rœschilden-

densi funeri suo conditorium absque  
parentatione, fastu & pompâ, sonitu  
aut concentu transferrent, altâ ac du-  
raturâ requie usque ad novissimum,  
diem gloriosæ resurrectionis istò in hy-  
pogæo reservandum.

Exinde plenus annorum, satur di-  
erum, fessusque ætate & perplexis ævi  
laboribus atque ærumnis, cum summo  
sanctissimæ mentis desiderio piè op-  
pertus est horam decretoriam, quâ  
Deus almus Redemptor ejus vanis il-  
lum laboriosæ hujus vitæ curis eripe-  
ret, ut cum solidô animæ gaudiô inne-  
xam atque involutam molestiis seculi  
vitam glorioso exitu commutaret.

Neque verò explendis illius votis  
segnia sese exhibuere fata; quippe quæ  
cum ad septimū diem Septembris Anni  
1667. in pleno Senatorii Ordinis confessu

ventilandis controversiis ac dicundō  
juri pro officio vacaret Illustrissimus  
Judex, illi mox ferali paroxysmo cor-  
repto, in proximo jam esse vitæ termi-  
num haud obscuris indiciis ostende-  
bant. Solutô exinde conventu cum  
domum reversus de adversâ valetudi-  
ne paucis conquestus esset, ad sopor-  
rem mox & requiem ceu proximum  
ac presentissimum nialo remedium se  
comparatus cubitum ivit; ubi va-  
cillante per aliquot dies ægritudine,  
familiaribus colloquiis uxoris alio-  
rumque, qui visitationis illum officio  
prosequebantur, tædia temporū leva-  
bat. In sequente verò undecimo Septem-  
bris cum marito vires penit⁹ exhaustas,  
perque exulceratum sinistri femoris  
tumorem ægritudinem morbi ingra-  
vescere animadverteret mœstissima-  
con-

**conjux, anceps dubiaque consilii nul-**  
**lum non solidæ & exuberantis tristitia**  
**spectaculum præbuit; ut spem nihilo-**  
**minus atque fiduciam in auxiliō divi-**  
**nō, & quod humanæ opis esset, in Ex-**  
**cellentissimorum Doctorum PAULI**  
**MOTI, & HENRICI à MÖINICHEN,**  
**Serenissimæ Regiæ Majestatis Medico-**  
**rum Experientissimorum opera atq;**  
**consilio collocârit: qui quantumvis**  
**diversa consimilibus opposita morbis**  
**remedia adhibuerint, supra tamen**  
**omnia medicamina stabat imperiosissi-**  
**ma vis mortis; nec ullis planè reme-**  
**diis cessura videbatur atrocitas morbi**  
**& contumax affectus; ut exiguum de-**  
**inde spei restituendæ valetudinis Me-**  
**dici ultra præferrent. Quandoqui-**  
**dem verò etiam in ipso presentissimæ**  
**mortis vicinio suæ plerumque spei**  
ser-

servandæ vitæ, & è morbis eluctandi  
insistere soleant ægrotantium ingenias  
huic præcavendo incommodo, & ut  
piâ ante obitum præparatione animam  
cœlestem cœlo redderet, antecesse-  
rat jam pridem integrâ adhuc & illęsâ  
valetudine inter Illustrissimum hunc  
virum & conjugem vetus & religio-  
sissima stipulatio, qua mutuis pollici-  
tationibus se invicem obstrinxerant,  
ut qui prius alterum ferali olim mor-  
bô correptum deprehenderet, in de-  
sperata re necessitatem mortis ante  
excessum denunciaturus esset. Itaque  
ex promisso, cui obnoxia erat mœstis-  
sima conjux, consternata dolore, an-  
xiaque & lacrymabunda per præsentium  
verba amicorum desideratissimo  
marito subobscuro eloquio obumbra-  
ri curavit ingruentem mortis neces-  
tatem.

tatem. Illi quod præsens tum dictabat necessitas piè consultoqué exeqvuturi Illustrissimo Viro in mentem suggerebant præcipitantis fati conditio-  
nem; prægravia morborum sympto-  
mata, ac frequentissima, quæ in mem-  
bris conspiciebantur exanthemata ceu  
mortis prænuncia aversam à terrenis  
& de salute æterna sollicitam require-  
re mentem, parum spci in præsidiò hu-  
mano, ad divina accelerandum esse  
piis ac compositis verbis proferebant.

Neque tamen hoc triste proloqui-  
um ac funestam denunciationem ab-  
horruit valida fortissimi Viri constan-  
tia; verùm etiam in interitu suô hu-  
manitatis sensum animi magnitudine  
vincens ostendebat instantis lethi for-  
midinem generosam mentem non la-  
befactasse; quippe ut infractō per to-

S

tam

tam vitam adversus omnes fuerat adversitates animo; ita quoque hanc ultimam necessitatem tantò majorecepit tolerantia, quantò per multos retrò annos in senili ætate jugi semper & integra devotione expectaverat horam decretoriam, climactericumque tempus, quō terrenum suum tabernaculum destrueret cœleste Numen, ut æruininosum corpus temporaneæ quieti; animam verò æterno, quod in cœlis est, gaudio per beatum è vita excessum mandaret. Itaque composito ad quodvis divinæ voluntatis arbitrium animo paratus, lectissimam conjugem his verbis compellat.

Quamvis ô dulcissima Conjux nullum adhuc persentiam instantis lethi indicium, nihilominus cum in ambiguo sit, quid de capite meo decreverit

rit divina benignitas; morbi autem in-  
crementum, & juxta attenuata & lan-  
gvescentia doloribus membra, in occi-  
duâ presertim senectute mea, vix du-  
biam spem restituendæ sanitatis jam  
relinquant; superiorum tamen ego  
memor collocutionum nostrarū, qui-  
bus nos invicem incolumi utriusque  
valetudine obstrinximus, si quando  
quid de capite nostro fortuna ita vari-  
aret, ut alterum nostrum in lethalem  
incidere morbum contingret; is qui  
illæsâ adhuc sanitate existeret, instan-  
tis fati præfigum ante obitum ægro-  
tanti exponeret: tibi ô dilectissima  
conjux denunciare jubeo proximè in-  
stantis mortis meæ necessitatē; ut posi-  
tis jam cunctis seculi curis circa divina  
solummodo intentam foveam animā,  
de mundanis haud quicquam ultra-

follicitam. Ita conspiciendi faciem,  
Dei ac cœlestem appetendi patriam pi-  
is desideriis totus animus inardescet,  
spe certâ fretus futurum, ut sacræ cœ-  
lestium congregationi & contubernio  
admixtus inter hymnidicos Angelo-  
rum choros de beata in conspectu Dei  
animæ perpetuitate in solidum gaudere  
queam: cùm illi qui in hac ærumnosa vi-  
ta sunt constituti, intimæ illius con-  
templationis sola initia degustent.  
Quocirca quicquid ultrâ de rebus  
mundanis, fortunis meis, possessioni-  
bus & parentalibus ab excessu meo  
statuendum sit, id quidem ad plenum  
declarabit conditum jam pridem ex  
indulgentia Regis hac de re Testamen-  
tum meum; In quô præter alia ultimæ  
intimæque voluntatis meæ perscripta,  
omnia mea meos inter uxorem, libe-  
ros



ros atque necessarios tam justè, rectè  
ac legitimè dispertivi, ut ipsi mihi non  
nisi sanctam intaminatamque consci-  
entiam hac in parte reservasse, vel in-  
fatali hacce vitæ meæ periodo liquidò  
contestari queam. Quoad matrimo-  
nium nostrum, id omnibus constat,  
quod in mutuô amore ac charitate,  
summaque animorum conjunctione  
transactum fuerit; quò vehementius  
mihi dolendum foret, tam arctum hoc  
conjugalis amicitiæ vinculum intem-  
pestivâ fatorum violentiâ dissolvi; nî  
anxiā mentem gravitatemque dolo-  
ris sublevaret constantior fiducia,  
quam de gloriofa resurrectione atque  
æternâ nostrâ in cœlis conjunctione  
& contuberniô fovemus. Reliquum  
est ut corpus meum matri terræ, ani-  
mam verò cœlestem cœlo reddam.

S 3

Quæ

Quæ qvidem lu<sup>c</sup>tuosa ac lugubribus plena verbis oratio, quām altē de scenderit in penetralia pectoris conjunctissimæ conjugis, haud quisquam rectius judicaverit, quām illi, qui quanto mœrore matrimonium ad tē denos annos in solido ac constanti amore prolatatum dissolvi posset, suo ipsi exemplo didicerunt.

Non secius tamen mœstissima con jux etiam in summâ tristitiâ, nullô ad missô doloris levamentô, de charissimi capitî animam tum propè agentis salute, piè prudenterque sollicita fuit, verita ne absque salutiferô viaticô ex iret è vivis. Re propositâ, cum ipse devotâ mente ac piô desideriô innuis set, accersitus mox comparuit Dn. M. MICHAEL HENRICI fil. Ecclesiæ ad

Di-

Divum Nicolaum pastor vigilantissimus, qui acceptâ prius religiosissimæ pietatis confessione, Sacramentum eucharisticum illi in spectatisima circumstantium, ac tanti casum viri lugentium coronâ subministravit. Peracta hæc sub horam matutinam diei undevicesimi Semptembris.

Inde cum memorato Concionatore ac Medicis, aliisque summi nominis Viris, qui consalutatum eum accesserant, verbis ultro citroq; habitis, sub vesperam inclinante in occasum sole, cuncta sese representabant indubiæ mortis indicia; adeò ut vocem comprimeret, nisi quod quandoque mutandum cubile judicaret, aut depellendæ siti compressis verbis potiunculam peteret. Ceterum in conti-

nuâ

nuâ rerum divinarum & cœlestium,  
meditatione noctem totam propemo-  
dum insomnem traduxit ; donec ad  
horam in sequentis dîei circiter quin-  
tam matutinam , qui incidit in præno-  
minati mensis vigesimum, editis rarís  
ac levibus aliquot suspiriis, animam  
haud diu in agone mortis agitatam  
submissè exspiraret, Deoqué Condito-  
ri suo piô ac gloriosô vitæ exitu red-  
deret, citra omnem oris aut corporis  
distortionem aut deformitatem placit-  
um è vita excessum fortitus; post-  
quam vitæ suæ spatium ad sexaginta,  
octo annos, novem menses, tres heb-  
domadas, unô solido die excepto pro-  
traxisset. Sic naturæ satisfecit, æter-  
næque legi paruit Illustrissimus Vir,  
non sine maximo bonorum omnium  
dolore.

Exu-

Exuvias defuncti mœstissima Uxor,  
& liberi, Testamenti illius ac ultimæ  
voluntatis observantissimi in condito-  
rium illius, quod, ut supra ostensum,  
Roëschildiæ est, absque ceremoniis,  
at tristi & lugubri officio inferri cura-  
runt; deduentibus extra domum fu-  
nus Illustrissimis ac Nobilissimis Re-  
gis Daniæ Senatoribus, cum universâ  
utriusque sexus Nobilitate, ac prima-  
riis spectatissimisque urbis Hafniensis  
Viris.

Quoad staturam corporis, erat fa-  
cie benè figuratâ, oculis venustis, cor-  
pore deductô, capillis promissis &  
prominentibus, naturâ quidem molli-  
bus ac nigris; sed in venerandam ipsâ  
cum senectâ, canitiem variatis; com-  
positis & valentibus membris, fortibus  
lacertis, ore venustô, voce sonorâ, ex-

T  
pe-

peditâ linguâ, promptô atque solerti ingenio, fluente & eloquente sermone sale condito; & ne quid deesset, animo fuit gravis, benignus domi, in armis fortis, utrobiique prudens, moderatus, justus, & ab omni mentis inqui- namento alienus: ut natura maximam sui vim in unum hominem profudisse dici posât.

Excepit Deus Opt. Max. animam ejus inter primogenitos suæ Ecclesiæ, quorum nomina in cœtu cœlestium consignata sunt, illam gaudio in resurrectione justorum sempiterno impleturus.



